BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XX
A
9
NAPOLI

[illegible]itized b[illegible]

Digitized by Google

XX
A
53

Digitized by Google

CHRISTIANI OTTHONIS
à BOEKELEN, Lubec.

OPUSCULA,

DE

DIVERSIS FAMILIIS
Vet. Juriſconſultorum.

ORATIONIBUS
Principum in Senatu Rom.

EXCEPTIONIBUS
Tacitis in pactis publicis.

ÆMULATIONE
Imperiorum.



B. R. NEAPOL.

LUGD. BATAV.
Apud FELICEM LOPEZ, 1678.

Viris Generoſiſſimis, atque Illuſtribus,

D. GEORG CHRISTOFF de Hammerſtein, Domino Hereditario in Geſwolt, Eichervort, Halſperda, &c.

D. OTTONI GROOTE, Domino Hereditario in Jühne, Waſthſtede, Wersbuttel, &c.

D. FRIDERICO de HEIMBURG, Domino Hereditario in Groſſen Golferen, &c.

Sereniſſimæ Domui Ducali Brunswicenſi & Luneburgenſi,

Illi: Cellenſi,
Iſti: Calenbergicæ,
Huic: Wolfferbytanæ,

A Conſiliis ſanctioribus, earundemque Miniſtris primariis.

Mecœnatibus meis obſervanter, omnique humili ſtudio devenerandis.

Offero vobis, Viri Generoſiſſimi, diſſertationes quaſdã; Libellum mole ſua exiguum, argumenti autem naturâ, quod in frontiſpicio ſingularum partium ſpectatur, ſic ſatis commendabilem. Diſſertationes, inquam, non à me quidem compoſitas, ſed à Fratre piè defuncto, Typis quondam Argentorati, celeberrimi Boëcleri hortatu, aliiſque locis evulgatas, & doctis pariter viris ac in Reip. luce verſatis laudatas: Eas cùm denuo

nuo excudendas ſumeret, elegans & celebris in Belgio Typographus, egoque fraternâ pietate motus non abnuerem, iteratam hanc editionem veſtris Nominibus, Viri Generoſiſſimi, dedicare atque inſcribere viſum eſt; tum ut ego non ſolùm obſervantiæ erga Vos meæ, ſed & debitæ gratitudinis exhiberem teſtimonium aliquod publicum; ſimulac, quod frater ipſe; ſi vita ſuppeteret, fuiſſet facturus, hoc velut indicio proderem ſummam ejus

erga Vos obſervantiam; tum, ut libellus hicce, quicquid lucis per ſe habiturus ſit, eò amplius ſplendoris aliquid mutuaretur à tantis Nominibus, velut Titulis. Sed fratrem quidem, mihi, dum viveret, chariſſimum, Sereniſſimi Saxoniæ Ducis miniſterio, vix anno amplius, laudabiliter attamen, vel ipſo Principe teſte, defunctum, mors præmatura abſtulit, patrem verò famâ Nominis (quod præfiſcinè dictum velim) Germaniæ viciniſque Re-

gnis

gnis cognitum, nobis ob paterna officia filiali obſequio honorandum, ſummi Soſpitatoris Dei beneficio habemus ſuperſtitem. Cujus appellationem, quoniam & Vobis, Viri Generoſiſſimi, haud ingratam fore exiſtimem, id quod jam olim pluribus occaſionibus patuit, eo ſereniori vultu accepturos vos eſſe ſpero, hunc defuncti filii velut poſthumum fœtum. Valete, Viri Generoſiſſimi, & conatus meos in hac almâ Juliâ, honoribus univerſæ Domus

Brunſwigo-Luneburgicæ, nec non ſeminario Reip. quod ipſa literis dedita juventus eſt, dicatos Vobis habere commendatiſſimos, qui ſum eroque, dum vixero

Illuſtr. Generoſitatum

V. V. V.

Omni ſtudio Cultor obſervantiſſimus

JOH. GOTHARD. de BOECKELEN JC. & Profeſſ. Extraordinarius, Moralium itidem & Politicorum Ordinarius.

Dabam in Academia Julia, quæ eſt Helmſtadi. Anno 1677. *die* 14. *Nov.*

AD
LECTOREM
PRÆFATIO.

Quod præcocibus ingeniis familiare eſt, ut raro conſeneſcant, plerumque vix ultra adoleſcentiam annos producant, quemadmodum herbarum, fruticum, arborum quarundam exemplis natura docet, in hominibus quotidiana teſtatur experientia. Id auctori quoque harum diſſertationum, fratri quondam meo cariſſimo eveniſſe, haud ſine dolore compertum eſt ſuperſtitibus ipſius parentibus, fratribus, propinquiſque omnibus. Vix pubertatem attigerat, cum ad humaniora, omniſque politioris literaturæ ſtudio velut materia ductus, illico Epiſtolas, Orationes, Verſus conſcriberet ſatis eleganter; certe ultra ſpem & fidem Parentis juxta & Præceptorum. Animadverterat in Bibliotheca Præceptoris, Viri in Græcis pariter & Latinis exquiſitè docti, paulò poſt Medici inſignis, adverſaria, omnis antiquitatis elegantiarumque velut apia-

apiarium, ſex ſeptem Voluminibus collectum. Ejus inſpectione ſibi commiſſâ adeo delectabatur, ut & ipſe ille ſimile aliquid tentaret ſuo marte ſparſim, ex omni lectione ſeu injuncta ſeu ſpontanea. Ac proficiebat iſto ſtudii genere in literis, adeo quidem ut & de Politicis rebus ſeu Epiſtolam, ſeu oratiunculam, ſeu carmen, quale ab ætate ejus nemo exſpectaverat, Præceptoribus quidem vim ingenii præmaturam haud parùm admirantibus, conſcriberet ultrò. Decimo quinto ætatis anno ſtrenæ loco offerebat Patri libellum de Tyranno, ex recentioribus non ſolùm rerum Politicarum ſcriptoribus, ſed ipſo Ariſtotele, Græcis ubique textibus adductis, accuratâ methodo collectum. Equidem jam tum typis publicis committere, tùm famæ parandæ, tum ingenii in iſto ſtudiorum curſu confirmandi gratia, ſuadebant Præceptores; ac obtinuiſſent, niſi pater omnis oſtentationis adverſator, inhibuiſſet. Paulò poſt Epithalamium edebat, nuptialibus tædis Conſulis, in urbe Imperii Romani primaria, & generis claritudine & meritis in Remp.

ejuſ-

ejuſdem Civitatis *primarii, quintum nuptias iterantis, Viri cætera & viſu vultuque & corporis majeſtate moribuſque graviſſimi, quem ob ejuſmodi animi corporiſque dotes* Catoni *comparabat, Romanis faſtis hiſtoriciſque celebrato,* Carmine *tam venuſto ſimul & cum argumenti gravitate interdum aſſurgente, ut cum ſeculi noſtri* Poëtis *aliquando certare poſſe videretur.* Helmſtadienſi *deinde,* Heidelbergenſi *&* Argentoratenſi *Academiis, integro luſtro innotuit. Cumprimis autem* Boeclerus *eum Argentorati non ſolùm intimâ admiſſione habuit, ſed & omnibus viris* Doctis *commendavit. Ibidem priores duas diſſertationes, de* Sectis *Veterum Juriſconſultorum, & de* Orationibus *Principum in Senatu Romano, quæ hodiernis Sac. Cæſ. Majeſtatis propoſitionibus, ut vocamus, in Comitiis Imperii ſunt perſimiles, poſtea tertiam, de* Æmulatione *Imperiorum alio loco, ultimam denique de* Exceptionibus *tacitis* Jenæ, *ubi tum verſabatur, edidit. Jamque diverſis in locis ei patebant occaſiones, de* Patriâ, *h.e. Germaniâ noſtrâ publicè*

benè

benè merendi; cum à Sereniſſimo Duce Saxoniæ inferioris, ad Conſilium regiminis ſui, quod Ratzeburgi eſt, vocaretur. Aſt, proh dolor, vix anno officio præfuit, cùm vitâ hac officioque ſimul defunctus, obiret. Hæc obiter ſcire te volui, Lector benevole, hiſque valere jubeo, & piè defuncti fratris non ſolùm, ſed & Boeckeliani nominis memoriam conſervare ut ſtudeas, rogo.

Dabam Helmſtadii 14. Nov. 1677.

JOHAN. GOTHARDUS
de BOECKELEN, JC.
& Profeſſor extraordinarius,
Moralium verò & Politicorum ordinarius.

Lectori Benivolo

JOH. HENR. BOECLERUS
S. P. D.

Chriſtianus Ottho Boeckhelius, *Parentis ad omnem virtutis, doctrinæ, tractandæ Reipublicæ laudem inter præcipua noſtri ævi nomina provecti, Filius, indolis & diſciplinæ paternæ ex domo acceptæ, pluresque per Academias excultæ, aſsiduiſsime memor, tum in cæteris ſapientiæ ſpeciminibus, tum in conjungenda cum illuſtriſsimo Juriſprudentiæ ſtudio, hiſtoriarum & civilium artium peritia, ita ſe hactenus in noſtra Academia adhibuit, ut exempla ſuperioris & ſtrenui temporis non æmularetur modo feliciter, ſed ad inſequentis memoriam incrementi, ultro proferret, novitate profectuum atque propagaret. Cujus rei pulcherrimum tulit nuper fructum, quando conſcriptam de* Veterum Juriſconſultorum Sectis *diſſertationem, ſub auſpiciis Nobiliſsimi Ampliſsimique* Rebhanii, *Juriſconſulti ſui Ordinis principis, more Academico publicanti, quicquid eſt doctorum & ſtudioſorum hominum applauſit magna lubentia, & macte ac belle acclamavit. Nunc iterum, quæ de*

Ora-

ORATIONIBUS PRINCIPUM *hiſtoria & antiqui memoria temporis ſuppeditat, meditatus, compoſito erudite libello, è cathedra Academicâ propugnando, me optavit Moderatorem: non tam, quod opus haberet, quam quod conſuetudini parendum exiſtimaret. Reliqui, ut obtulerat, omnia, abſque ulla interpolatione: ratus, præclaris ingeniis & familiares & utiles ſecundarum curarum cogitationes, ad perpolienda & abſolvenda, quæ ſemel ſub acumen ſtili venerunt, dehinc ſubnaſci, &, quo tendendum eſt, proficere. Sicut autem, de exoptato hujus laboris ſucceſſu, nulla cuiquam dubitandi cauſa datur; ita Ampliſſimo Parenti gratulandum eſt, de Filio ad decus & laudem recto itinere graſſante. Faxit Deus, ut propria perpetuaque* BOECKHELIANO *nomini illa contingat ac perennet felicitas. Vale Lector Benivole. Argentor, 15. Sept. A.* 1666.

Σ. Θ.

Σ. Θ.

DE
DIVERSIS FAMILIIS
Veterum Jureconſultorum.

Cap. I.

De controverſiis Veterum Jureconſultorum ſub liberâ præcipuè Republ. & de fori diſputationibus eorum.

Circumſpicienti mihi veterum Jureconſultorum controverſias, non ejuſdem generis omnes fuiſſe, ſed ex variis cauſis ac circumſtantiis enatæ, partimque ex occultâ quadam æmulatione, partim ex diverſo Jus & æquum interpretandi modo, dum alii rigidiores paullulum ſtrictæ quantum licebat juris rationi adhæreſcerent, alii in æquitatem procliviores eſſent, potiſſimum vero ex diverſis diſſentientium familiarum ſtudiis ſectiſque profectæ videntur. Quantum ad

eas, quas priori loco recenſuimus, pauca, ſaltem delibare fas eſto, cum non adeo ab inſtituto ſint & ἀπροσδιόνυσα.

Ac principiò quidem ſub primis Juriſprudentiæ noſtræ incunabulis, quo tempore adhuc anguſtis admodum LL. XII. tabb. finibus continebatur, non deerant præclara quædam ingenia, quæ ad excolendam rudem adhuc & inconditam hanc ſcientiam laudabili cupiditate ferebantur, ita ut ex eo ſuas paullatim porrigeret regiones, donec provecto tempore in eam excreverit molem, ut magnitudine tandem ſuâ laborare cœperit. Inter prima ejus incrementa erant fori diſputationes, quas ipſas luculento ſatis argumento eſſe etiam inter remotioris ævi Juriſconſultos diſſidia interceſſiſſe nemo ambiget: De illis *Pomponius in l. 2. §. 5. de O. I.* (*ut Goveano lib. 1. var. lect. cap. 24. legitur*) *His Legibus latis cœpit* (*ut naturaliter evenire ſolet*) *cum interpretatio deſideraret prudentium auctoritatem, diſputatio fori.* Quæ fuerit hæc fori diſputatio, & in quâ re conſtiterit, parcè admodum oſtendunt, qui hanc Pomponii L. illuſtrarunt, *Coceejus, Rupertus, Sithmannus, Muretus*, & alii qui hiſtoriam juris conſigna-

ſignarunt. Non parum hîc aberraſſe videtur *Jac. Rævard de auctorit. prud. cap* 14. ubi eam fori diſputationem fuiſſe ait, quando Juriſconſulti à Principibus conſulebantur, & de quæſtione dubiâ coram eo decertabant: ſed neque hæc ſub Principibus vera illa fuit fori diſputatio, & quam ergo ſub liberâ Rep. nobis exhibet? Magis rem tetigiſſe videtur *Hotomann. in Juriſconſulto ſuo*, ubi Juriſconſultor. veterum ſub liberâ rep. partes & munera explicat. Cæterum cum ſub liberâ republicâ juriſprudentia nondum eſſet facta mercenaria, ſed qui erant in civitate viri Principes, illam non vilis lucelli gratiâ, ſed honoris gloriæque ſtudio excitati certatim amplecterentur, non privatim ſolummodò, ſed publicè docebant, reſpondebant, diſputabant. Teſtis *Cicero in Oratore p.* 262. *Cum igitur*, inquit, *jus civile docere ſemper pulchrum fuerit, hominum clariſſimorum floruerunt domus*: (paullò poſt) *reſpondentem ſat erat audire, ut is qui doceret, nullum ſibi ad eam rem tempus ſeponeret, ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfaceret & conſulentibus.* Quinimò peculiares ſuas in foro habuiſſe ſtationes docet *Gellius Noct. Att.*

 lib. 13.

lib. 13. *cap* 13. *Cum ex angulis*, inquit, *ſecretiſque librorum ac magiſtrorum in medium jam hominum & in lucem fori prodiiſſem, quæſitum memini in pleriſque Romæ ſtationibus jus publicè docentium ac reſpondentium.* Harum quoque diſputat. meminit *Cicero in Topic. ad Trebat. Hoc diſſerendi genus attingit veſtras quoque in reſpondendo diſputationes.* & *Aſconius Pæd. in Verrin.* 3. *Maleficia ſponte, non diſputatione Juriſconſultorum fugienda ſunt.*

Exſtat hujus moris elegans exemplum apud *Cic. de Orator. lib.* 1. *p.* 132. ubi Antonius, *Audivi*, inquit, *acceſſiſſe ad Craſſum conſulendi cauſâ quendam ruſticanum, qui cum Craſſum ſeduxiſſet, adque ad eum retuliſſet, reſponſumque adeò verum magis quam ad rem ſuam accommodatum abſtuliſſet, & eum triſtem Galba vidit, nomine appellavit, quæſivitque qua de re ad Craſſum retuliſſet; ex quo ut audivit commotumque vidit hominem, ſuſpenſo inquit animo & occupato Craſſum tibi reſpondiſſe video. Deinde ipſum Craſſum manu prehendit: Et heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita reſpondere? tum ille fidenter homo peritiſſimus confirmare, ita ſe rem habere ut reſpondiſſet, nec du-*

bium

bium eſſe poſſe: Galba autem alludens variè & copioſè multas adferre ſimilitudines multaq; pro æquitate contra jus dicere, atque illum cum differendo par eſſe non poſſet, ad auctores confugiſſe, &c. Huc referendas quoque eſſe non dubito diſputationes quæ coram judice fiebant à diverſarum partium Patronis, cujus moris illuſtre veſtigium eſt apud *eund. pro Cæcinn. p.* 236. Dicebantur hæ fori diſputationes Jus Civile, anguſtiſſimâ earum vocum notione *Pomp. d. l. 2. de O. I.* § 5. quod & Ciceronis teſtimoniis confirmant *Muretus ad h. l. Pomp. itemque Bachovius, Sigonius de Ant. Iure C. Rom. lib.* 1. *cap.* 5. Eædem pariter, ut & cætera prudentium interpretatio, media Juriſprudentia dicitur. *Zaſius* quidem *ad l.* 1. *ff. de legat.* 1. *n.* 3. 4. *& ſeqq.* circa juriſprudentiam *ait* primò conſiderari tempora Regum, quæ in jure noſtro nunquam attendantur, ſecundò tempora à LL. XII. tabb. quæ vetuſtiſſima Juriſprudentia dici poſſit, quæ uſque ad Ciceronis tempora duraverit, quæ inde ſecuta ad Trajanum veteriorem dici, denique ſucceſiſſe fœturam Juriſconſultorum Pauli, Papiniani, Ulpiani, quæ media Juriſprudentia dicatur. Et iſta

quidem ſibi fingit ſomnia, nullis aut certe exiguis argumentis ſubnixa. Alii ad Conſtantinopolitanos Impp. mediæ Juriſprudentiæ tempora producunt; quos ſanè quis neget ἀνιστορησίας culpa carere? Ecquos enim à Gordiani temporibus ad Conſtantinum uſque novimus Juriſconſultos, qui parem cum veteribus auctoritatem habuerunt. Sed tutius hic arbitror menti Imperatoris inhærere, qui §. 3. *Inſt. de legit. agn. ſucceſſ. Media autem*, inquit, *juriſprudentia, quæ lege* XII. *tabb. erat junior, imperiali autem diſpoſitioni anterior*; quibus nimirum ſaniori interpretatione eos ſaltem Juriſconſultos comprehendi, qui à LL. XII. tabb. ad tempora Impp. uſque floruerunt, exiſtimamus: Confer *Aurel. Galvan de uſufruct. cap. 6. & Magniſ. D. Rebhan hodeg. jur. chart. 2. Clim. 3. parall. 17. n. a.* Cæterum illud dubio non vacat, quod *Galvan. dict. tract. 4. num. 9.* aſſerit; per *Veteres* in ſtis plerumque mediæ juriſprudentiæ auctores intelligi; utcunque enim id nonnunquam fieri non diffiteamur, attamen & primi illi qui Impp. temporibus vixerunt, hoc nomine veniunt, illi imprimis qui ſectarum Principes fuerunt. Idcirco melius

lius *Cujacius in l. 37. ff. de uſurpat & uſucap.* ex veteribus ultimos eſſe ait Sabinum & Caſſium. Sic enim in lege illa: *veterum ſententia abolita eſt fundi furtum fieri poſſe.* Fuit autem illa Sabini imprimis, ut ex §. 7 *Inſt. de furt.* notum. Sic & in *l. 3. §. 19. ff. de acquir. vel am. poſſeſſ. Plerique veterum & Sabinus & Caſſius putaverunt. & in l. 31. ff. ad L. Falcid. ſecundum Caſſii & veterum opinionem.* Atque ita in ſententiam noſtram facit *l. 1. §. 9. ff. ad d. l. Falcid.* ubi Juriſconſultus, *Veteres*, inquit, *æſtimandum totum uſumfructum putabant, & ita conſtituendum quantum ſit in legato, ſed Ariſto à veterum opinione receſſit.* Hinc apparet poſteriores quidem in ſtis non amplius veteribus accenſeri. Vixit autem Ariſto ſub Trajano, ut ex *epiſt. 22. lib. 1. Plinii* conſtat. Imperatores poſtea omnes illos qui tam ſub libera republ. quam ſub Principibus floruerunt Juriſconſultos hoc nomine complectuntur. Patet id ex §. 3 *Inſt. de donat.* ubi ait: *Eſt & aliud quoque donationis genus, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, poſtea verò à junioribus D Principibus introductum.* Primus vero, qui hoc jus induxit, fuit Conſtantinus

l 8. *Cod de donat. ante nupt.* Eſt & hanc in rem clariſſima *l.* 22. *Cod. de furtis*, ubi Imperator Salvium & Papinianum inter antiquos recenſet.

Superſunt etiam nonnullæ controverſiarum à mediæ juriſprudentiæ auctoribus agitatarum reliquiæ, qualis illa fuit inter M Manilium & Lælium Brutum, Ulpiano *in l.* 68. *pr ff. de uſufr.* relata: cujus & *Cicero lib.* 1 *de fin. p. m.* 41. meminit: *An partus Ancillæ ſit in fructu habendus? diſſerebatur inter Principes Civitatis P. Scævolam, M. Manilium, ab hiſque M Brutus diſſentiebat.* Q. Mucii & Sulpicii controverſia de ſocietate inæquali quoad lucri & damni perceptionem attingitur *in l.* 30. *ff. pro ſocio*, & exponitur etiam *in* §. 2. *Inſt. de ſocietat.* Aliam quæſtionem inter Brutum & Scævolam variè tractatam, an ſcil. qui hoſtibus deditus reverſus, nec à Romanis receptus eſſet, civis eſſet, adfert *Modeſtinus in l.* 4. *de captiv. & poſtlim. reverſ.* Q. Mucii & Galli cum Servio & Ofilio controverſiam exhibet *Labeo in l* 29. *ff. de legat* 3. Atque publicas haſce fori diſputationes nec ſequenti Impp. tempore planè in deſuetudinem abiiſſe, ut alia omittam, vel inde patet, quod Juriſ-

riſconſulti illi poſterioris ævi diſputationum publicè tractatarum integros conſcripſerint libros. Cujus farinæ Scævola unum edidit, ut ex catalogo Juriſconſultorum conſtat, Ulpianus vero decem, qui etiam allegantur à Diocletiano & Maximino Impp. *in l.* 11. *Cod. de quæſtionibus*. Cæterum, hi vero etiam nonnunquam coram Principe, cum de cauſâ aliquâ cognoſcebatur, in varias ibant ſententias. *Vid. Cujac. obſ.* 18. *c.* 32. Pater hoc ex celeberrima & quæ perpetuam interpretibus crucem figit *l.* 40. *ff. de rebus credit.* Cui geminum exſtat veſtigium in *l.* 43. *ff. de act. empt.* ubi Paulus: *Lectum*, inquit, *eſt reſponſum Domitii Ulpiani*; ſed opponit ibidem ſententiam Juliani eamque ut veriorem probat.

Penes Imperatorem tandem litis erat arbitrium, qui conſilium quod ſibi videbatur magis in rem præſentem eſſe ſequi ſolitus: Quemadmodum ex conſilio Neratii & Ariſtonis D. Trajanum aliquando reſpondiſſe refert Papinianus in *l. ult. ff. ſi à parente quis manumiſſ.* Et *Ulpianus in l.* 3. *ff. de teſtam. militis.* D. Marcum aliquando ſecundum ſententiam ſuam reſcripſiſſe gloriatur. Ut-

cumque autem de hiſce confitendum ſit diverſas eorum opiniones ex ſectarum ſtudio propullulaſſe ita de illis,qui ſcilicet ſub libera republ. vixerunt,dubium non eſt, quin ex ſolâ æmulatione aut prout quiſque vel in æquitatem vel in ſtrictiorem juris rationem pronior fuerit, promanarint. Sepoſitis igitur hiſce,de quibus paucula hæc præmiſiſſe fraudi non erit, ad id quod diſſertationis noſtræ caput eſt, ſectarum nempe diverſarum hiſtoriam penitius evolvendam procedamus.

CAP. II,

Generalia quædam de Juriſconſultorum ſectis, tum de earum origine ac primis auctoribus.

More Juriſconſultorum, de quibus etiam nunc agimus, de voce SECTA principiò ſollicitos nos eſſe convenit. Uſus enim hoc vocabulo ad hanc rem ipſe *Pomponius l. 2. de O. I.* §.47. Definit ſectam *Iſidorus lib.* 8. *Orig. cap.* 3. *Secta*, inquit, *eſt à ſequendo & tenendo nominata, nam ſectas dicimus habitum animorum & inſtituta circa diſciplinam vel propoſitum quem tenendo ſequuntur.*

tur. Similiter & *Diog. Laërt. proœm. circa fin.* Αἵρεσιν δὲ λέγομεν τὴν λόγῳ τινὶ κατὰ τὸ φαινόμενον ἀκολουθοῦσαν ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν, καθ' ὃ εὐλόγως ἂν αἵρεσιν τὴν σκεπτικὴν καλοῦμεν. Primò id Philoſophis tributum, quorum ſectas eleganter *Cicero de Orat. lib.* 3. *cap.* 16. *familias diſſentientes* vocavit: *Socraticam domum* dixit *Horat. lib.* 1. *od.* 29. *& larem Socraticum* 1. *Epod.* 1. *verſ.* 13. Sectæ autem vocabulo de Philoſophis uſus quoque *Claudian. in paneg. Mall. verſ.* 60.

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo,
Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.

Tacit. annal. 6. *cap.* 22. *ſapientiſſimos veterum, quique ſectam eorum æmulantur, diverſos reperias.* Et ſic quoque vocem hanc uſurpavit *Papinianus in l.* 8. §. 4. *ff. de vacat. & exc. mun.* Exſtitiſſe autem ejuſmodi inter Juriſconſultos diverſas ſectas ſeu diſſentientes familias præcipuus nobis auctor eſt *Pomponius in l.* 2. *de O. I.* §. 47 *Hi duo,* inquit, (*Atteius & Labeo*) *primùm diverſas ſectas fecerunt. Nam Atteius Capito in iis quæ ei tradita fuerant perſeverabat, Labeo ingenii*

genti qualitate & fiducia doctrinæ, quia & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit, & ita Atteio Capitoni Maſſurius Sabinus ſucceſſit, Labeoni Nerva, adhuc diſſenſiones auxerunt. Teſtis etiam *Venulejus in l.* 138. *ff. de Verbor. Obligat. Eum,* inquit, *qui certarum nundinarum diebus dari ſtipuletur, primo die petere poſſe Sabinus ait: Proculus autem & cæteri diverſæ Scholæ auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum ſpacio ſupereſſet, peti poſſe exiſtimant.* Indicat eos quoque *Imperator* §. 2. *de empt. vendit. Sabinus & Caſſius etiam in alia re putabant pretium poſſe conſiſtere: Diverſæ Scholæ auctores contra ſentiebant: & in* §. 8. *de mandat. Sabino & Caſſio placuit, ſed diverſæ Scholæ auctores recte.* Oſtendunt idem & Juriſconſulti plerumque, cum his ferè formulis utuntur: *Magna dubitatio fuit, l.* 73. §. 1. *ad L. Falcid. Verior eſt diverſa ſententia exiſtimantium, l.* 11. §. 6. *eod. ſublata eſt dubitatio eorum, l.* 1. § 3. *ad SC Trebell. non immeritò dubitabatur, l.* 28. *pr. ff. eod. quibuſdam exiſtimantibus, aliis contra, l.* 17. *ff. de legationibus. Illud tractatum eſt, l.* 9. §. 2. *ff. de ſtatu liberis. Scio tractatum & plerique probant, l.* 2. §. 3. *ff.*

ne

ne quid in loco publ. apud veteres varium fuit, l. 139. ff. de verb. oblig. Etſi in dubitationem hoc à quibuſdam male deducatur l. 67. ff. de ſolut. & liberat.

Primi quidem poſt reſtitutam Romano Germanoque orbi jurisprudentiam Romanam interpp *Accurſius, Bartolus, Baldus, Caſtrenſis, Jaſon, Ripa* hanc rem ne attigerunt quidem. *Accurſius ad l. 1. § ſed an ff. de contrah. empt.* ad controverſiam Sabinianorum cum Proculejanis illud ſuum *male* adjicit, quod ſolenne ipſi in illis quæ parum aſſecutus eſt, unde illud *male ſecundum Accurſium vid. Alciat. 2. prætermiſſ. in h t. Budæ. ad h l. 1. de contrah. empt.* Qualem hiſtoriæ imperitiam ubique ferè cum in ſubſidium advocanda eſſet deprehendas licet in illis Interpp. ſuâ alioquin laude non fruſtrandis. Primus uti inter omnes illorum temporum Juriſconſultos melioris literaturæ facem iterum alluxit jurisprudentiæ, & eam ſitu ac ſqualore obſitam nativæ dignitati ſuæ reſtituere aggreſſus eſt, ita & hanc Pomponii legem non ineleganti commentario illuſtravit Zaſius, & ſectarum hiſtoriam quodammodo explicuit. Cæterum de earum ſerie compendioſam

conſi-

conſignarunt tabellam *Contius* 1. *ſubciſ.* 2. *Gothofred. in man. jur. Coccej. ad l.* 2. *ff. O. I.* quâ tamen illi ſolum, quos Pomponius recenſuit, comprehenduntur. Eam & hîc apponere placet.

SABINIANI *Caſsiani.*	PROCULEJANI *Pegaſiani.*
Sub Auguſto.	
Attejus Capito.	Antiſtius Labeo.
Sub Tiberio.	
Maſſurius Sabinus.	Nerva Pater.
Sub Caio, Claudio, Nerone.	
Caſſius Longinus.	Nerva F. Pegaſus.
Sub Veſpaſiano.	
Cælius Sabinus.	Proculus.
Sub Traj. Adriano & Ant. Pio.	
Priſcus Javolenus.	Celſus P.
Alburnius Valens.	Celſus F.
Tuſcianus.	Priſcus Neratius.
Salvius Julianus.	

Primos igitur diverſarum factionum Principes fuiſſe Attejum Capitonem & Anti-

Antiſtium Labeonem conſtat, ac illum quidem Sabinianæ, hunc vero Proculejanæ ſcholæ auctorem. In cauſas harum diſſenſionum inquirentibus, eas partim ſuppeditat *Pomponius. Capito*, inquit, *in his, quæ ei tradita erant, perſeverabat, Labeo ingenii qualitate & doctrinæ fiduciâ, quia & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit*: Non abſimilis origo harum diſſenſionum fuit, quam quæ Philoſophorum, Academicorum cumprimis. Æque enim ex Platonis Scholâ prodierunt Xenocrates & Ariſtoteles: Ille quidem Præceptoris ſui inſiſtebat veſtigiis, hic vero novam ſibi diverſamque elegit viam, unde prima Academiæ veteris novæque initia. *Vid Cicer. de Orat. lib.* 3. *cap.* 16. & 17. *Lipſium* 1. *manud. ad Stoic. Philoſ. diſſ. ult. Voſſium in diſſ. de ſectis Philoſoph.* Cæterùm, quæ Labeonem inter & Capitonem exſtitere controverſiæ, maximam partem inde ortas ſuſpicari licet, quod ingenio etiam erant quàm diſſimillimo. Labeo quidem vitæ ſeveræ & ad Stoicam auſteritatem compoſitæ, Capito autem Principum auræ velificatus plus quam vernili adulatione famam ſuam nomenque defœ-

defœdavit. Labeonem enim Stoicis addictum fuiſſe ſanè multa ſunt quæ probant: Trebatium namque Præceptorem habuit, quem ipſum quoque Stoicorum præceptis imbutum fuiſſe non male quis colligat ex illâ cavillatione *Cicer. lib.* 7. *ad famil. epiſt.* 16. *Balbus mihi confirmavit te divitem futurum, id utrum Romano more locutus, bene nummatum te futurum, an quemadmodum Stoici dicunt, omnes eſſe liberos qui cælo & terra frui poſſunt.* Illud quoque à Stoicis hauſiſſe Labeonem ſit veriſimile, quod verborum adeo curioſus fuerit, quem Stoicorum fuiſſe laborem ex præcipuis oſtendit, taxatque *Seneca* ipſe *epiſt.* 45. Labeoni autem idem tribuit *Gellius lib.* 13. *Noct. Att. cap.* 10. Immodica quoque libertas, quâ in Principes utebatur, ſatis arguit Stoicam indolem: Nulli enim magis Principum ſe conatibus oppoſuerunt quam illi qui Stoicam ſectam profitebantur, ut obſervat *Chriſtoff. Adam Rupertus ad Valer. Max. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. Quod ſe hâc libertate Labeo quoque efferre ſolitus fuerit, idcirco dictus creditur ab *Horat. lib.* 1. *ſat.* 3. inſanus. *Vetus Scholiaſt. ibi: Labeo memoratæ libertatis juriſperitus*; inquit.

quit. Ejus παῤῥησίας exempla proſtant apud *Sueton Auguſt. c.* 54. *Dion. Caſſ. lib.* 54 *p.* 330. Ipſe quoque Attejus hoc in illo reprehendit apud *Gellium lib.* 13. *Noct. Att. cap* 12. *Labeo Antiſtius*, inquit. *legum atque morum P. R juriſque civilis apprimè doctus fuit, ſed agitabat hominem libertas quædam nimia, atque vecors, uſque eo ut D. Auguſto jam Principe rempubl. obtinente, ratum tamen penſumque nihil haberet, niſi quod in antiquitatibus Romanis legiſſet.* Atque ita Stoica Philoſophia ad ſucceſſores Labeonis, Proculejanos ſcilicet propagata fuit, iique præ cæteris ad illam ſe applicarunt, magis etiam quàm Sabiniani, ut eruditè obſervat *Emund Merill. obſerv. lib.* 2. *cap.* 4. Hinc Sabinianis Stoicos fuiſſe infenſos, ac quo potuerint modo eos ſugillaſſe veriſimile eſt. Non caret cavillatione illud *Arriani lib.* 4. *diſſert. Epictet. cap.* 3. ubi cum dixiſſet, *liber ſum & amicus Dei*, ſubjungit: *Hæ ſunt illinc miſſæ leges, hæc edicta, horum interpretem eſſe decet, his parere: Non Maſſurii, non Caſſii præceptis* Nec ab ironiâ abeſt illud *Perſii ſat* 5.

Vindictà poſtquam meus à Prætore receſſit,

Cur

Cur mihi non liceat, juſsit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Diverſitatem ingeniorum Labeonis ac Capitonis exinde etiam licet perſpicere, quod cum Capito honorum fuerit appetentiſſimus Labeo contra delatos ſibi quoque repudiaverit. Teſtatur enim Pomponius eum, cum Cos. ſuffectus ab Auguſto deligeretur, hanc dignitatem detrectaſſe: Cauſam allegat hanc *Bertrand. in Labeon.* quod ominoſum forte fuerit in demortui Conſulis locum ſuccedere, quemadmodum id in Cenſura obſervatum. Sed longè alia ratio erat hac in parte Cenſuræ & Conſulatus. Cauſas enim peculiares quare id in Cenſurâ non factum exponit *Livius lib 5. cap. 31. lib. 6. c. 27. lib 9. c. 34.* quæ Conſulatui accommodari nequeunt. Noti quippe moris apud Romanos fuit, ut in demortui Cos. locum alius ſufficeretur: Sic enim & Auguſtum ſe ipſum in locum Panſæ & Hirtii conſulem feciſſe ſcribit *Tacitus in Orat. cap. 17. num. 2. & de Claudio Sueton. in vit. cap. 14.* novo circa Principem exemplo in locum demortui conſulis ſuffectus.

fectus. Sed & ille error eſt Bertrandi, quod putet in demortuorum ſaltem Coſs. locum qui ſurrogabantur, *ſuffectos* fuiſſe dictos Antiquitas aliud nos docet. Erant enim *ſuffecti*, qui in quorumvis Coſs. ſeu mortui ſeu proſcripti erant, ſeu morbo ab officio detinebantur, locum ſurrogabantur. *Vid. Onuph. Panvin. comm ad faſt. p. 57. & ſeqq.* Alii comminiſcuntur hanc rationem, quod eam dignitatem ut non adeò magni æſtimatam ſe inferiorem duxerit Labeo. Nota enim eſt querela illa apud *Senec. de ira lib.* 3. *cap.* 31. *Tanta tamen importunitas hominum eſt, ut quamvis multa accipiant, injuriæ loco ſit plus accipere potuiſſe: Dedit mihi præturam, ſed conſulatum ſperaveram, dedit* 12. *faſces, ſed non fecit ordinarium conſulem.* Sed neque hoc Labeonem non uſque adeo ambitioni deditum deterruiſſe arbitror; forſan autem ne à ſtudiis ſuis detineretur cum ad publica diverti negotia opus eſſet, iſtum declinavit honorem. Scribit enim Pomponius, *eum annum ita ordinaſſe ut Romæ ſex menſes eſſet & conſulentibus reſponderet, ac ſex menſes ſecederet ſtudiiſque operam daret.* Quales ſeceſſus Romæ multis Clariſſimis viris in uſu fuiſſe ſuo

 mul-

multoties & aliorum exemplo teſtatus eſt Cicero. Et extat ejus rei quoque veſtigium *in l. 21. §. ſi arbiter ff de recept arbitr.* ubi Ulpianus: *Arbitri*, inquit, *qui in eo loco qui ſit circa urbem adeſſe litigatores juſſerint, ſi ejus auctoritatis ſit, ut in ſeceſſibus agere ſoleat.*

Quod porro Capitonem attinet, mores ejus ac ingenium tam diſſidebant à Labeone quàm à Cœlo Terra. Enimvero Attejus hic uſque Principum captare gratiam eorumque nutibus intentus, quibus artibus favorem ſibi conciliaverat, iiſdem eam conſervare erat ſollicitus. Componit eorum ingenia *Tacit. Annal. lib. 3. cap. 75. Et Capito Attejus*, inquit, *de quo memoravi, principem in civitate locum ſtudiis civilibus aſſecutus, ſed avo Centurione, Syllano patre Prætorio, conſulatum ei acceleravit Auguſtus, ut Labeonem Antiſtium iiſdem artibus præcellentem dignitate ejus magiſtratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora ſimul tulit: Sed Labeo incorrupta libertate ob id famâ celebratior, Capitonis obſequium dominantibus magis probabatur: illi quod præturam intra ſtetit commendatio ex injuria, huic quod conſulatum adeptus odium ex invidiâ oriebatur.* Adfert

ſert adulationis illius exemplum *Idem Annal.* 3. *cap.* 70. Ubi hoc adſpergit emblema : *Capito inſignitior infamiâ fuit , quod humani divinique juris ſciens, egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtaviſſet.* Aliud exemplum eſt apud *Sueton. de Grammat. cap.* 22. Atque ita uterque ad extrema deflexit, neuter media ingreſſus viâ: Capito quidem prudens dicendus fuiſſet, ſiquidem obſequium illud decorâ quâdam modeſtiâ temperare gnarus fuiſſet: Labeo verò ἀπολιτικὸς planè, bonus vir eſſe maluit quam bonus Civis. Ita neuter probè didicit quomodo ſub Tyrannis etiam ſine famæ diſpendio nec tamen alieno eorum animo vivere liceat. Quam artem egregiè *Tacit. Annal. lib.* 4. *cap.* 20. oſtendit. *Aut*, inquit, *fortè licet inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter periculis & ambitione vacuum.* A quibus artibus ſuum commendavit Agricolam *Idem in vit. ej. cap.* 45. Ut ad Capitonem revertar: Fuit is Cos. cum Vibio Poſthumio, ſed uterque ſaltem ſuffectus, ut ex inſcriptione quâdam oſtendit *Rupert p.* 427. indeque Tacitus acceleraſſe ei ſcribit Conſulatum Auguſtum. Fuerunt autem

eo anno ordinarii Coſs. M. Æmilius Lepidus, & L. Arruntius. Cæterum Capitonem in locum M. Æmilii ſucceſſiſſe idque paullò ante quam Vibius conſulatum adeptus, neceſſum eſt. Erroris enim alias convinceretur *Tacit.* qui *lib.* 1. *ann. cap.* 16. Capitoni & Arruntio ut Conſulibus mandatum fuiſſe ſcribit coërcendi fluminis remedium: Inſigniter vero lapſi ſunt *Muretus* & *Forſterus*, quos idcirco notavit quoque *Rupertus*, qui *Cuſpinianum* hîc pariter erroneum planè ſecuti, hunc Capitonem fuiſſe aſſerunt, qui cum Germanico Cos. fuit. A.U.C. 765. Qui tamen *Dioni lib.* 56. C. Fontejus Capito dicitur. Nihilominus hoc ſibi errore placuit etiam *Coccejus*, qui tamen & locum illum Dionis adducit, neque animadvertit quod gentile nomen nequaquam conveniat, cum hic Capito è Fontejorum ſit familiâ: qui poſtea in Germaniâ occiſus, quem *Tacit. hiſt. lib.* 1. *cap.* 52. *num.* 1. ſordidum & avarum dixit. Atteii vero Capitonis conſulatus meminit & *Ulpianus lib.* 3. *ad L. Jul. Pap. in l.* 29. *ff. de rit. nupt.* in eoque Legem tuliſſe, ait, ne invitam libertam uxorem ducere Patronus poſſet.

Cæ-

Cæterum ad diſſenſiones haſce acceſſit præterea quoque Labeonis καινοδοξία & diſſentiendi ſtudium, quod in eo non mediocre fuiſſe facile colligas. Videtur id nobis innuere velle *Javolen. in l. 25. ff. qui teſtam. facere poſſ.* ubi cum primò Servii ſententiam expoſuiſſet, poſtea Labeonis limitationem adfert, ac ſubjungit: *Ego nec Servium puto aliud ſenſiſſe.* Argumento ſane certiſſimo nobis eſt quod à Præceptoris ſui Trebatii ſententiis ut plurimum alienus, ſuis ipſe opinionibus mirè delectetur. Exempla ejus rei videas licet in *l. 1. §. 41. ff. depoſiti. l. 1. §. 2. ff. de peric. & commod. rei vend. in l. ult ff de jure deliberandi. l. 31. ff. de uſu & uſufruct. leg* Non nunquam tamen cum Trebatio ſenſiſſe etiam legitur, ut *in l. 6. §. 7 ff. de commun. divid. l. 45. ff. de contrah. empt. l 29. ff. eod. l. 13. §. 22. ff. de act. empt. l. 66. §. 1. ſoluto matr. l. 16. pr. de tritic. vin. leg. l. 40 §. fin. de condit. & demonſtr. l. 3. §. 11. ff. de ſtatu liberis.* Cum utroque Præceptore ſuo & Trebatio & Ofilio idem aliquando etiam reſpondit. *in l. 22. §. 10 ff mandat.*

Atque ita Labeonem ab Atteii Capitonis ut vitæ ratione planè alienus fuit,

ita & ingenio doctrinaque diſſimillimum oſtendimus, adeoque contingere facilè potuit, id quod evenit, ut in ſtudiis etiam juris Civilis partim æmulatione, partim diſſentiendi ſtudio in diverſas partes diſtraherentur. Cæterum hujus diſſenſionis nulla quantum memini in jure noſtro ſuperſunt veſtigia, quemadmodum nec Atteii Capitonis ſcripta ad ffitas ne minimam quidem ſymbolam contulerunt. Ter tamen obſervavi ejus auctoritatem allegatam: A Proculo *in l.* 3. §. *fin. ff. de Legat.* 3. ac deinde à Paulo *in l.* 2. §. 4. *ff. de aqua & aqu. pluv. arcend.* demùm à Labeone *in l.* 79. *ff. de jure dot.* Jam porrò ad utriuſque ſectæ familias nos conferamus.

Cap. III.

De Scholæ Sabinianæ ſectatoribus.

Massurius Sabinus (ut vocatur *in l.* 56. *ff. locat. & à Marcello in l.* 80. *ff. de Legat.* 1. *rurſuſque a Javoleno in l.* 105. *ff. de Verb. Oblig.* cum alias ſolo Sabini nomine vocetur) primus fuit, ut ex Pomponio conſtat, qui ſectas Capitonis propagavit. Dicitur *Athenæo in arg. operis ſui* νόμων ἐξηγητὴς,

ἐς

καὶ πάσης παιδείας οὐ παρέργως ἐπιμέλειαν ποιούμενος. *Et lib.* 14. Μασσούριος ἄπαντα ἄριστος καὶ σοφὸς καὶ οὐδενὸς δεύτερος. Præcipuâ hic Tiberii tempore famâ floruit, cum ab eo primus publicè ſcribendi copiam impetraverit. Unde magna libris ejus acceſſit veneratio, qui ab ipſis Impp. allegantur *in l.* 17. *Cod de uſufruct. & habitat. & in l.* 14. *Cod. de ſervit. & aquâ.*

Commentatus etiam eſt ad Edictum Prætoris, quos libros Imperator in catalogo recenſere neglexit: quintum tamen Paulus *in l. ſuo victu ff. de operis libertorum* allegavit. Conſtiterunt libri illi decem partibus, quas refert *Giſanius in Oeconom edict. perpet. p.* 97. Quem partium numerum tenere etiam voluit poſtea Julianus in Edicto ſuo perpetuo. hujus ſine dubio imitatione, quippe ejus ex ſcholâ deſcendens Adſeſſoria ejus citat *Ulpian in l.* 5. §.8. *ff. de injur. & fam. libell.* Dicti ab ejus nomine fuerunt, qui eum ſequebantur, Sabiniani. Ita *Ulpianus in l.* 11. *ff. de donat. inter vir. & uxor. Placuiſſe ſcio* Sabinianis: Et *Marcianus in l.* 11 *ff de acquirend. rer. dom. Ita Sabinianis viſum eſt, quæ ſententia vera*

B eſt.

eſt. Ipſe etiam Imp. Juſtinianus *in l.* 3. *Cod. de poſth. hered. inſtituend. Cumque* S A B I N I A N I, inquit, *exiſtimabant*. More nimirum ab antiquis Philoſophis petito: ſic de Menedemo Eretrienſi Eretriaci dicti: διὰ τὸ καὶ αὐτὸν κατάρχειν αἱρέσεως, *Diogen. Laërt. in Phædon. in fin*. Et de Heraclito *idem in vit. p* 631. Τοσαύτην δὲ δόξαν ἔσχε ὡς καὶ αἱρετιστὰς ἀπ' αὐτοῦ γενέσθαι τοὺς κληθέντας Ἡρακλειτείους. Sic de Rhetoribus Theodoro & Apollodoro *Quintilian. Inſt. Orat. lib.* 3. *cap* 1. *Hi diverſas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei & Theodorei ad morem certas in philoſophia ſectas ſequentium*.

E Sabinianis præcipuus fuit *C. Caſſius Longinus*, quem Sabini fuiſſe diſcipulum ſatis oſtendit *l.* 19 *ff. de recept. qui arbitr.* Nec facilè hic à Sabini principiis diſcedere ſolet, unde nihil frequentius in Jure noſtro, quam Sabinum & Caſſium ita ſentire; Hic verò cum Præceptore ſuo de famæ faſtigio decertaſſe videtur, dum illius gloriam paullatim obumbrare aggreſſus, ſplendorem nomenque Sabinianæ ſcholæ ſibi ipſi arrogavit: ſiquidem jam non à Sabino, ſed à ſuo ipſius nomine ſcholam, cujus Sabinus au-

auctor, ipſe vero ſeu novus erat conditor, appellari voluit CASSIANAM: Unde *Plinius lib.* 7. *Ep.* 24. eum *Caſſianæ ſcholæ Principem ac Parentem* vocat: Dicti ab eo quoque ejus diſcipuli CASSIANI. *Paullus in l.* 35. *ff. de mort. cauſa donat* §. 3. *Nec dubitaverunt* CASSIANI, *quin condictione repeti poſſet: Idem in l.* 18. *ff de furtis: ſi ſervus tuus furtum mihi fecerit & Dominus ejus effectus, eum vindidero, non poſſe me agere cum debitore.* CASSIANI *putant.* De hoc ita Pomponius: *Sabino ſucceſſit Caſſius Longinus natus ex Filia Tuberonis, quæ neptis fuit Servii Sulpicii, & ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat. Hic Cos. fuit cum Quartino temporibus Tiberii, ſed plurimum in civitate auctoritatis habuit euſque donec eum Cæſar civitate pelleret expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus à Veſpaſiano diem ſuum obiit.* Satis anxii ſunt interpp. in conciliando hoc loco cum veritate hiſtoricâ: De conſulatu ejus res difficultate non caret, quam ex omnibus feliciſſime videtur expedivisse *Chriſt. Ad. Rupertus*; Nobis hoc ulcus tangere non libet, utpote iis nunc ſubſidiis, quibus Viri illi ad veritatem eniti tentarunt,

non adeò inſtructis: In magna ſanè penes omnes admiratione fuiſſe Caſſium noſtrum, Tiberii imprimis tempore, conſtat, donec à Claudio Cæſare in exilium pulſus: De quo præter Pomponium etiam *Tacit. lib.* 16. *ann. cap.* 7. *Objectavit Caſſio quod inter imagines majorum etiam Caji Caſſii effigiem coluiſſet*, &c. paullò poſt *c.* 9. *Tunc SC. Caſſio & Silano exilia decernuntur; de Lepidâ Cæſar ſtatueret. deportatuſq; in inſulam Sardiniam Caſſius, & ſenatus jus exſpectabatur:* Ultima hæc verba medicam manum requirunt, quanquam *Lipſio* deſperatum videatur mendum. *Bertrand. in Caſſ.* putat *exſpectabatur*, hîc idem eſſe quod *probabatur*: ſed non iſtuc facient loci ab eo allegati, ubi diverſam vocis *ſpectare* ſignificationem eſſe facile apparet. Magis illi emendationi confirmandæ faceret *l.* 33. *ff. mandat. uſque ad eam ſummam in quam rogatus erat fidem ejus ſpectaſſe videtur qui rogavit.* Ineptior paullò eſt *Ludovic. d'Orleans*, qui legit, *ſententia Conjugis exſpectabatur*: Longius petita conjectura, nec ad mentem hiſtorici; Acu rem tetigiſſe videtur *Rupertus*, qui legit: *& Senis citus interitus exſpectabatur.* Teſtatur vero & de Caſſio

idem *Sueton. in Ner. cap.* 37. *Caſſio Longino JC. ac luminibus orbato, quod in veteri gentili ſtemmate Cos. Caſſii Cæſaris percuſſoris imagines reſtituiſſet, objectum eſt.* Quod Pomponius addit quaſi à Veſpaſiano poſtmodum receptus fuerit, neminem ex hiſtoricis ſibi habet adſtipulantem. Cæterum nec omitttendum ejus encomium,quo *à Tacit.lib.* 12.*annal. cap.* 11. ornatur: *Eâ,* inquit, *tempeſtate Caſſius cæteros præeminebat peritiâ Legum.*

C ÆLIUS poſtea SABINUS Caſſium excepit, qui Sabinianorum iterum induxiſſe nomen creditur: & quam gentili ſuo famam interverterat, Caſſius eam feliciter reparaſſe. *Vid. Gothofred. man. jur. p.* 36. Plurimum enim potuit ſub Veſpaſiano atteſtante *Pompon. l.* 2. *§.ult. in fin. de O. I.* Quin & cum Fl. Sabino Ottonis tempore Conſulatum ipſi Kalendis Majis deſtinatum fuiſſe ſcribit *Tacit. hiſt. lib.* 1. *cap.* 77. Unde ſuffectum Cos. ſaltem fuiſſe colligas: Ordinarii quippe Coſs. ſemper Kal. Januariis magiſtratum adibant. *Plutarch.in Mario.* Dictus fuit M. Cælius Sabinus,ut habet *Plin. Nat. Hiſt. lib.* 35. *cap.* 12. ejuſque meminit & *Gell. Noct. Att. lib.* 7. *cap.*4.

Et ſæpius nominatur *in l. 17. ff. æd. edict.*

Cælii ſucceſſor fuit PRISCUS JAVOLENUS, ſeu ut alii JABOLENUS, de cujus nomine multa *Salmaſ. in not. ad Capitolin. Rupert. in Pompon. h. t.* Indolem ejus ac conditionem prolixè nobis deſcribit *Plin. lib. 6. epiſt. 15.* Non exiguæ eum auctoritatis fuiſſe exinde ſatis conſtat. Tum à Labeonis ſcholâ quoque abhorruiſſe luculenter patet ex epitome, quam ad Labeonem conſcripſit, in quâ plerumque in Labeonis ulceribus ungues defigere gaudet. *Vid. l. 18 ff. de fund. dot. l. 44. ff. de injur. & famoſ. libell.* E contrario Caſſii ſententias amplexum patet *ex l. 6. §. 2 ff. de liber & poſth.* Ex cujus quoque ſcriptis ſpicilegia contulit in 15. libros, quorum decimus quintus allegatur *in l. morib. & l. ſolvendo ff. de V. S.* Ejuſdem quoque libros aſſiduè eum verſaſſe argumento ſunt, *l ſi alieni 78. ff. de ſolut. & liberat. & l. ſi hereditas 28. §. 1 ff. de ſtatu liberis.*

Ab hoc Pomponius numerat ALBURNIUM VALENTEM, quem cum Salvio, Ulpio Marcello & Jaboleno in conſilio Antonini Pii fuiſſe refert *Capitolin. in vit. Anton.* Eundem eſſe non

non dubito, quem *Paulus in l.* 78 §. 6. *ff. de legat.* 3. *Alburnium Valentem* vocat. Etſi autem Pomponius eum Iuliano adhuc præponat, non malè tamen quis conjiciat eum poſt tempora Iuliani vixiſſe, cum Iuliani auctoritate aliquoties uſus legatur, ut *in l.* 33. *ff. de minorib.* & *l.* 94. *ff. de legat.* 3. ex quibus ſimul conſtare poterit eum fuiſſe Sabinianæ ſectæ addictum.

Valenti Pomponius TUSCIANUM, neſcio quem ſubſtituit. Commentatores hic quidem uno ore hujus nominis Juriſconſultum ſibi cognitum negant. Illud non abs re, in univerſo Digeſtorum volumine vix nomen, quod huic non adeo ſit abſimile, reperiri. Ad hoc igitur ut ultimum confugiunt præſidium, ut corruptum à librariis nomen afferant: Sed in emendando eo non parum falluntur plurimi, dum tale aut affine nomen anxiè inveſtigant: Ita *Guido Panci-rol.* 1. *th var. lect.* 79. FUSCIANUS legit, cujus mentio eſt apud *Capitolin. in Pertinac.* Sed fuit is Præfectus Urbi, nec Iuriſconſultum fuiſſe aliunde conſtat. Vix eſt etiam ut is dici poſſit, qui Triphonino memoratur *in l.* 7. *ff. de legat. præſtand.* & Tuſcianus Numidiæ Le-

gatus dicitur. Sagacior paullò videtur conjectura *Hotoman. in deſcript. vet. JC. p* 170. *Rupert. ad h. l. 2. Pomp.* qui putant ita in M ſ quodam exaratum fuiſſe Ius-ianus: Unde imperitiâ librariorum factum *Tuſcianus*, cum *Voluſius Mæcianus* legendum fuiſſet. Cui ſententiæ confirmandæ addimus, hoc ipſum nec temporis rationi abverſari, & hunc ipſum MæcianumCaſſianæ quoque ſectæ fuiſſe addictum. Quod enim Mæcianus quiſpiam à *Lampridio* inter Severi conſiliarios recenſeatur, dudum jam mendi nomine viris doctis ſuſpectum, qui *Metium* ibi potius legendum arbitrantur, qui auctor eſt *l. 5. de jure fiſci:* quem ſub Severo floruiſſe ac Conſulem fuiſſe conſtat ex veteri inſcriptione apud *Onuph. Faſt.* 2 Mæcianus autem Voluſius ſub Marco demum Imp. florere cœpit, quippe quem in Iuriſprudentia ut Præceptorem audiviſſe Marcum, ſcribit *Capitolin. in Marc.* Pertigit poſtea quoq; ad DD Fratrum tempora, horum quippe conſiliis adhibitum patet ex *l 17. ff. de jure patron.* ubi Ulpianus DD. Fratrum reſcriptum refert, in quo illi: *Voluſius Mæcianus, amicus noſter, ut & Juris Civilis præter veterem & bene fundatam peri-*

tiam

tiam anxiè diligens : vocant eum DD. Fratres amicum ſuum more Principibus conſueto. *Vid. Sueton. Tib. cap. 55. num. 1. Jan. Guther. de off. dom. Aug. l. 1. cap. 16. Clar. Bernegg. ad Sueton. Cæſ. cap. 72.* Quod vero Caſſianæ hic ſectæ adhæſerit, inde conſtare poterit, quod Iulianum aliquoties appellet, *Suum.* ut *in l. 65. §. 1. ff. ad SC. Trebell. ut Julianus noſter probat.* Et *in l. 30. §. 7. ff. ad L. Falcid. Celſo & Juliano noſtro placuit.* Unde familiarem Iuliani fuiſſe aut ejus ſcholæ aſſeclam indubiè patet.

Denique agmen claudit Iulianus, vir multis magniſque Impp. elogiis ornatiſſimus, & Edicti perpetui conditor: *Amicum ſuum & virum clariſſ.* vocant *Impp. in l. 63. ff. de jure patronat. Magnæ exiſtimationis virum & diſertiſſimum juriſperitum, l. non ſine. C. de bonis quæ liberis. Juris ſublimiſſimum teſtem, l. pen. C. de condict. indeb. ſummum auctorem juris ſcientiæ, in l. inter antiquam C. de uſufruct. & habitat.* Ab ipſo etiam Iuſtiniano *in Novell. 74. ſapientiſſimi* titulo decoratur, & *Optimi, in Orat. ad Senat. Legum & Edicti perpetui ſubtilis conditor, l. 2. §. 18. C. de vet. jure enucl.* Sabinianæ ſcholæ aſſeclam fuiſſe cer-

tum eſt, cum Iavolenum Præceptorem ſuum fuiſſe teſtetur ipſe *in l. 5. ff. de manumiſſ. vindict.* Illuſtre præterea eſt Caji teſtimonium *in l. 57. ff de manumiſſ. teſtam.* Cajus ibi primò ſuam exponit ſententiam, deinde addit, *quam ſententiam Julianus planè ſequitur* (paullò poſt) *ſed hoc non eſt conſequens Sabini & Caſſii ſententiæ, quam & ipſe ſequi videtur.* Ipſe quoque pene ſe prodidit *in l 30. de liberali cauſa: Sabinus refertur exiſtimaſſe duci ſervum debere ab eo qui viciſſet, cujus ſententiæ Caſſius quoque eſt & ego ſum.* Jungitur & cum Caſſio quod idem dixerint *in l. 28. §. 1. ff. de jurejur.* cum Sabino & Caſſio *l. 1. §. 5. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Proculum refutat *in l. 11. §. 5. ff. ad L. Aquiliam.*

C a p. IV.

De ſcholæ Proculejanæ ſectatoribus.

Enumeravimus eos quos Sabinianæ familiæ ſectatores nobis recenſuit Pomponius: nunc ad contrariam nos ſcholam conferamus, PROCULEJANORUM ſcil. quomodò ſcribendum, non PROCULIANORUM docet *Cujac. ad tit. de O. I. in fin.* Proculum tamen

tamen anteceſſit adhuc Nerva, qui primus Labeonis dogmata cœpit contra Sabinum propagare: Tiberio familiariſſimum fuiſſe ſcribit Pomponius, idque & *Tacit. lib.*4. *ann. cap.* 58. teſtatur. An idem ſit, quem *Jul. Frotin. lib.* 2. *de aquæduct.* avum Imperatoris & juris ſcientia illuſtrem vocat, in medio relinquo. Inediâ fatum ſibi præcipitavit, Tiberio multum ne faceret ſollicitante, *Tacit. lib.* 6. *ann. cap.* 26. Quo argumento Stoicæ indolis hæreſiſque fuiſſe colligas. Doctrinæ illius veſtigia non niſi rara habentur in jure noſtro. Majorem ſibi poſtea auctoritatem acquiſivit PROCULUS, quippe quem primùm ſcholæ Parentem non immerito dixeris, cum ſectatores ejus morem Sabinianorum æmulati, amplum exiſtimaverint æque ſibi nomen de ſui Præceptoris nomine fingere. Ita *Pomponius h l.*2 *§.ult* & *Ulpianus in fragm. tit.* 14. mentionem PROCULEJANORUM faciunt. Quis autem fuerit hic Proculus, cujus fortunæ conditioniſve, parum conſtat. Vix eſt ut cum Bertrando, Forſtero, ac aliis hunc arbitremur eſſe Proculum illum, qui ſub Ottone Præfecti Prætorio munus geſ-

ſit,

ſit, cujus ſæpius meminit *Tacit. lib.* 1. & 2. *ann.* Multò minus & ſententiæ Ruperti accedere poſſumus, qui hunc eſſe Sempronium illum Proculum ait, quem in *l.* 47. *de legat.* 2. conſultum putat. Sed parum ſincerè de lege allegata judicat: Sic enim ibi: *Sempronius Proculo nepoti ſalutem*. Fuit igitur is Sempronius avus Proculi, eumque in lege illa conſuluit. Laudatur à Divis Fratribus in quodam reſcripto, quod exhibet *Ulpianus l.* 17. *ff. de jure patronat.* ut *non levis juris auctor.* Labeonem ut plurimum ſequitur, nec minus etiam in Nervæ auctoritate deliteſcere ſolet, ut *in l.*8. §. 9. *ff. de reb. credit l.*13. *ff. qui potior. in pign.*

Proculum in ſcholâ excepit Nerva junior, illius, quem modo nominavimus, filius, nequaquam degener: Jam enim octodecim annos natus de jure reſponſitaſſe narratur *Ulpiano l.* 1. §. 3. *ff. de poſtulando.* Idem Ulpianus multum tribuiſſe videtur huic Nervæ, quippe ejus ſingulari doctrinâ non parum ſe oblectans, ut *in l.* 13. §. 7. *ff de uſufruct.* ubi eum *Nervam filium* vocat, quemadmodum & *in l.* 3. §. 8. *ff. de peculio*: *Sed hoc & Nervæ filio & mihi videtur*

detur verius. Ita etiam à Paullo ſæpius vocatur *in l. 1 ff. de acquir. vel am. poſſ.* Hunc Proculejanos ſecutum etſi vix liquidis argumentis demonſtrari queat, vix tamen eſt ut à Parentis ſui opinionibus eum receſſiſſe credamus.

Nervæ ſucceſſit PEGASUS, qui non impari famâ hujus ſectæ perſecutus eſt dogmata, ita ut & qui eum ſequebantur PEGASIANI fuerint dicti. Eum hunc eſſe ſtatuunt plerique, qui cum Puſione Coſ. fuit & SC Pegaſiani auctor, cujus mentio eſt apud *Juſtinian. Inſt. §. 5. de fideicom. heredit.* Cui ſententiæ non officit, quod hi Coſs. nequaquam in faſtis reperiantur, cum & à ſuffectis Conſulibus SC. quoque fuerint denominata, ut pluribus oſtendit *Gerhardus Coccejus in comm. ad h. l. Pompon.* Illuſtre de Pegaſo *Juvenalis* eſt teſtimonium *ſat.* 4. *verſ.* 77.

Pegaſus attonitæ poſitus modo villicus urbis
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus atque
Interpres Legum ſanctiſsimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Juſtitiâ. —— Unde

Unde eum præfectum urbi aliquando fuiſſe conſtat: Villicum enim antiquâ vocis ſignificatione dixit Iuvenalis præfectum : *Vid. Salmaſ. ad Lamprid. Alex. Sev. p.20. add. Cicer. pro Plancio cap. 61. Horat. lib 1. ep. 14. pr.*

Villice ſylvarum & mihi me reddentis agelli.

Ad Proculi ſententias aliquoties acceſſiſſe legitur, ut *in l.* 30 *§.* 1. *ff. de peculio, l.* 27. *§ fin. ff. de acquir. rer. dom.* Conjungitur & cum Labeone *in l.* 12. *§.* 3. *ff. de inſtruct. vel inſtr. leg.* Aliquando & contrà Sabini ſententiam, à cujus ſcholâ alienus erat, reſpondiſſe legitur *in l.* 115. *§.* 2. *ff de Verb. Obligat.*

Iam porrò ad Celsos devenimus; Hos enim à Pegaſo numerat Pomponius & quidem utrumque & Patrem & filium Proculejanæ ſcholæ ſectatores celeberrimos. Quamquam diſpar alterutrum gloria ſecuta, cum parentis quidem parcè admodum mentio fiat, filii vero ſæpius, cujus & ſcripta non parum ad Digeſta contulerunt. Meminit Parentis ſui Celſus filius *in l.* 29. *ff. de legat.* 2. *Pater meus*, inquit, *cum eſſet in conſilio Duceni Veri, itum in ſententiam ſuam referebat*, Idemque ſucceſſionem

ſionem illam ſcholæ Proculejanæ oſtendit *in l. 20. ff. eod. Et Proculo placebat, & à patre ſic accepi.* Patris quoque mentionem fecit *Neratius in l. 39. ff. mandati, & Ariſtoni & Celſo Patri placuit.* Aſtutiam ejus, quâ periculum à Domitiano ipſi deſtinatum evaſit, refert *Dion lib. 67. p. m. 765.* Filius Jubentius Celſus dictus fuit, ut *in l. 7. §. 1 ff. de operis libert. l. 13. princ. de liberis & poſth.* Bis eum fuiſſe Conſulem tradit Pomponius. Et primùm quidem ſuffectum fuiſſe tantum credibile eſt, quod in faſtis non niſi ſemel cum L. Balbo referatur; Sed tamen cum Neratio Marcello aliquando Cos. fuiſſe patet ex *l. 3. Cod. de ſerv. reipubl. manumit.* Sed hoſce non fuiſſe diverſos conſulatus ex antiquâ inſcriptione quâdam aſtruere annititur *Bertrandus in Celſ. p. m. 56.* Proculum probaſſe ait *Ulpian. l. 9. §. 3. ff. de hered. inſtit.* cum eodem conſentit etiam *in l. 19. §. 3. ff. de auro, arg. mund.* Ulpiano etiam imprimis placuiſſe Celſus videtur, unde cum ejus utitur teſtimoniis, ſæpius id cum elogio quodam facit: ſcil. *eleganter, recte* Celſus. *Vid. l. 1. §. 1. ff. de Juſtit. & Jure, l. 18. ff. de hered. petit. l. 23. de recept. qui arbitr. l. 18. §. 4 ff. famil.*

famil. erciſc. ut à Patre diſtinguant, ſolent hunc vocare *filium*: Sic *Pomponius in l. 1. ff. de reſcind. vendit. Celſus filius putabat. Idem in l. 29. ff de evictionibus, Celſus filius ajebat.* Iſta ratione Paulus eum vocat *adoleſcentem in l. 91. ff. de verb. obl.* Notanda eſt diſſenſio illa inter filium hunc ejuſque Patrem Celſum, quam habet *Ulpian. l. 3. §. 7 ff. de condict. cauſa data.*

Denique agmen Proculejanorum claudit Neratius Priscus: Quem Conſulem fuiſſe ait Pomponius, quamvis faſtis incognitum eſſe tradant. Meminit tamen SC. Neratio Priſco & Annio Vero Coſs. facti, *l. 6 ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Quantum Trajanus ipſi detulerit, ſatis ex Lampridio conſtat: Proculi ſententias ſecutum teſtis eſt *l. 17. pr ff. ſolut. matrimon.* quæ deſumpta eſt ex *Pauli lib. 7. ad Sabin.* Idem tamen *Paulus in lib. 6. ad Plaut. ex quo eſt l. 21. ff. de re judicat* longè aliter Neratii hâc de re adfert ſententiam, quod argumento eſt quàm diverſimodè Iuriſconſulti alterius cujuſdam referant ſententiam: Cujus ſane rei non ſolum Triboniano, ſed ipſis quoque Iureconſultis culpam tribuendam eſſe non immeritò quis arbitretur.

bitretur. Etiam *in l.* 32. §. 5. *ff. de auro, arg. leg.* Neratius Proculum refert ita reſpondiſſe, à qua ſententiâ nec ipſe diſcedit. Ejuſdem quoque ſententiæ ſunt *in l.* 3. §. 5. *ff. de A. vel A. Poſſ.*

Et hactenus vidimus de iis, quos Pomponius nobis recenſuit diverſarum ſectarum aſſeclis. Quorum in vitas penitius inquirere noſtrum nunc non eſt negocium, neque adeo operæ precium foret aliorum compilare ſcrinia, quippe cum hæc jam pridem iis, qui ſeorſim Juris Juriſconſultorumque hiſtoriam ſibi ſcribendam ſumpſerunt, operoſè ſatis petractata ſint. Ad eos nunc progredimur Juriſconſultos, quos Pomponius prætervectus, ex Digeſtorum tamen volumine ſat nobis cogniti ſunt.

CAP. V.

Diſquiritur de reliquis, ac poſterioris imprimis ævi Juriſconſultis, an & illi ſectas foverint.

Subſiſtit in Juliano ac Neratio Priſco Pomponius, fortè quod ſubſecutis temporibus non pari ardore diverſæ factiones fuerint excultæ, aut etiam quod eorum, qui ſuæ ætati proximiores erant, fa-

famæ ad declinandam invidiam peper-
cerit. De quo tamen deinceps paullò curatius diſquiramus, ubi primò eorum in ſectam, qui eâdem ætate cum illis, quos nominavit Pomponius, vixerunt, inveſtigaverimus. Multò autem fœcundior ſemper ſchola Proculejana fuit quàm Sabini, ex hac potiſſimum, ut arbitror, cauſâ, quod Iuriſconſulti maximam partem tunc temporis Philoſophiæ Stoicæ eſſent addicti. *Vid. Cujac. Obſerv. lib. 2. cap. 13. Paganin Gaudant. in libell. de philoſophiâ Romanor.* de quâ Juriſconſultorum Stoicâ philoſophiâ tractatum promiſit *Gtlvanus de uſufruct. cap.* 1. Præ cæteris vero hanc excoluere Proculejani, ut jam ſuperius demonſtratum nobis.

Celebris imprimis Proculi ſectator fuit A T T I L I C I N U S, cujus non alia niſi ex jure noſtro notitia; Non tamen minorum gentium fuiſſe Juriſconſultum patet inde, quod *Imp.* §. 1. *Inſt. de heredib inſtit.* ejus uſus fuerit auctoritate. Fuiſſe autem Proculo familiarem docet nos *l.* 17. *ff de pact. dotalib.* ubi eum per epiſtolam conſulit, cujus principium eſt, *Attilicinus Proculo ſuo ſalutem.* Hinc & ſæpiuſculè Proculo conjun-

jungitur, quod ſcil. in eâdem fuerint ſententiâ. *Vid. l.* 22. §. 9. *ff de recept. & qui arbitr. l.* 17. *ff. de pecul.* Poſtea cum Nervâ quoque filio amicitiam coluit, cum quo ſæpe reſpondit & eandem fovit ſententiam. Sic *in l.* 7. *ff. de condict. cauſa dat. cauſ. non ſecut.* Nerva & Attilicinus ſimul reſpondent: Idem ſcribunt *in l.* 45. § 7. *ff. mandati:* Et Ulpianus *in l.* 4. §. 8. *ff. de dol. mal. & met except.* Extat, ait, Nervæ & Attilicini ſententia exiſtimantium. Valens *in l.* 19. *ff de legat.* 3. Nerva & Attilicinus rectè putaverunt. *Paulus* quoque *in l* 19 *ff. de liberat. leg.* eorum refert conſenſum. Nec non Neratius Proculum & Attilicinum exiſtimaſſe ait, ſecundum *Ulpian l.* 5. §. 1. *ff. de ſerv præd. ruſt.*

Pariter etiam ARISTO Proculi adhæſit ſcholæ, eamque temporibus Trajani illuſtrem reddidit: Laudatur prolixè à *Plinio lib.* 8. *ep.* 12. *Gellio N. A. lib.* 11 *cap.* 18.

Habuit è Scholâ Proculejanâ familiariſſimum Priſcum Neratium. Unde ſæpius reperias in fftis Neratium Priſcum & Ariſtonem in eadem fuiſſe ſententiâ. Hinc & Neratius *in l.* 58. *ff. de pact.* Ariſtonis ſententiam refert & probat.

bat. Et *Papinianus in l. 5. ff. ſi à parente quis manumiſſ.* D. Trajanum memorat aliquando ex conſilio Neratii Priſci & Ariſtonis reſpondiſſe. Sæpius quoque literas invicem commutaſſe reperio. Ita *Ulpian. in l.* 19. §. 2. *ff. locat.* meminit epiſtolæ Neratii ad Ariſtonem. Et *in l.* 3. *pr. ff. quæ res pignor. vel hypoth.* Ariſto Neratio Priſco ſcripſit: Contrariam Pegaſo aliquando ſententiam foviſſe legitur *in l.* 19 *ff. de hered. inſtituend.* Ab hâc verò me ſententiâ non dimovet auctoritas Pomponii, qui *in l.* 40. *ff. de receptis.* refert, *Ariſtonem dicere ſe Caſſium audiviſſe dicentem, &c.* unde quis colligat Caſſianæ potius hunc ſectæ addictum fuiſſe: Sed conſtat cum Juriſconſulti publicè profiterentur, ſæpius eos à diverſæ ſcholæ ſectatoribus fuiſſe frequentatos; Id tamen non officiebat quo minus uni præcipuè ſe manciparent. Oſtendit nobis hoc diſertè in Labeone *Pompon. de O. I. l* 2. § 47. *Poſt hunc*, inquit, *maximæ auctoritatis fuerunt Attejus Capito, qui Oſilium ſecutus eſt, & Antiſtius Labeo, qui omnes hoſce audivit, inſtitutus autem eſt à Trebatio.* Multò vero minus crediderim hunc Ariſtonem illum eſſe qui Julianum con-

ſuluit

fuluit *in l. 6. ff. de legat. præſt. contra tabb.* id quod putat *Bertrand. in vit. Ariſt.* Dicitur enim is *Salvius Ariſto*, cum noſter fuerit *Titus Ariſto* ; Nec Bertrandi conjectura locum habet, qui hæc verba *Salvius Ariſto Juliano ſalutem*; ita transponenda cenſet: *Ariſtoni Salvius Julianus ſalutem*, cum nulla nos neceſſitas adigat, ut eum fuiſſe Ariſtonem, hunc Proculejanum credamus.

Præter hoſce & Ulpius Marcellus ex Proculi ſectatoribus fuiſſe perhibetur: id quod obſervavit *Emund. Merill. obſ.* 1. *cap.* 28 Quod tamen inter alia hoc adduxerit argumentum, quod ex hac ſcholâ fratrem quoque habuerit Neratium, ex errore quodam ortum videtur *in l. quæſitum* 12. §. 43. *ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Neratius quidem ad fratrem ſuum Marcellum ſcripſiſſe dicitur. Sed an is fuerit hic noſter, non levis occurrit dubitandi ratio. Crediderim enim Marcellum iſtum, de quo dicta *l.* 12. fuiſſe potius Neratium illum Marcellum, qui cum Jubentio Celſo Conſul fuit, cujus mentio eſt *in l.* 3. *C. de ſerv. reipubl. manumitt.* & quem *Plin. lib.* 3 *epiſt.* 8. vocat *Virum Clariſſimum*: Noſter vero Iuriſconſultus

Ul-

Ulpius Marcellus dictus fuit. Quàm verò infenſus Sabinianæ ſcholæ fuerit, ſatis oſtendunt, quas in Julianum, quantum vis σύγχρονον ſuum conſcripſit, notæ, quæ plenæ ſunt diſſenſionum veſtigiis, quarum illuſtre exemplum adfert *Ulp. l. 12. §. 5 ff. de uſufruct. & quemadmod.* Hinc cum confirmare aliquid vult Ulpianus, binos hos etiam in eo conſentire ait, ut *in l. 27 §. 3 ff. ad L. Aquil. Julianus ait & eſt veriſſimum, cum & Marcellus conſentit*: Et *in l. 2. §. fin. ff. de negot. geſt. Nos autem ſecundum Julianum probavimus, quæ ſententia habet rationem & à Marcello apud Julianum probatur. add. l* 10. *pr. ff. ſi quis omiſſa cauſa.* Unde patet quàm inſigniter aberrarit *Bertrand. in vit. cap. 1. p. 72.* ubi ſcribit eum Caſſianæ ſcholæ fuiſſe addictum, idque tum ex ſcriptis ejus liquidò apparere, tum quod Julianum Caſſianum appellet ſuum *in l. 85. ff de condit. & demonſtrat.* Sed nihil minus quam Sabinianam ſectam redolent ſcripta ejus, & in illâ *all l 85 ff de condit. & demonſtrat.* nuſpiam Iuliani mentio eſt, quin ipſa lex Scævolæ eſt, In ſequenti autem *l. 86 Mæcianus,* non *Marcellus* Iulianum vocat ſuum.

Ti-

Titus quoque Gajus ex hac fuiſſe ſcholâ videtur: Stoicæ enim doctrinæ addictior fuit, atque idcirco de originibus vocum, in quibus Stoicorum prima ponebatur cura, conſcripſit libellum, laudatum *Gell. lib* 11. *Noct. Att. cap.* 17. Quin & *naturam* pro Deo accepiſſe *in l* 28 *ff. de uſur.* & *fruct.* obſervatur quibuſdam. Manat & illud ex Stoicorum principiis, quod *in l.* 28. *ff. de uſufruct.* fœtus in fructu eſſe aſſerit. *Vid Plutarch.de placit.philoſ. lib.* 5. *c.* 15. Sed non opus erit ut tam altè rem arceſſamus: Suo ſe ſorex prodit indicio *in l.* 57. *ff. de manumiſſ. teſt.* ubi ita. *Sanè ſunt quidam qui cum heres locuples extiteret tale eſſe crediderunt, quale ſi ipſe teſtator adauctus poſtea facultatibus deceſſiſſet: Sed mihi traditum eſt hoc jure nos uti, ut ad rem non pertineat locuples an egens heres extiterit, ſed quarum facultatum teſtator deceſſerit: Quam ſententiam Julianus adeo ſequitur, ut exiſtimet, ne eum quidem libertatem conſecuturum, quem is qui ſolvendo non eſſet ita liberum eſſe juſſiſſet cum æs alienum ſolutum erit, Stichus liber eſto. Sed hoc non eſt conſequens Sabini & Caſſii ſententiæ, quam & ipſe ſequi videtur.* Satis oſtendit ibi ani-

mum

mum ſuum à ſcholâ Sabinianâ alienum. Sed non poſſum non hic iterum inſignem Bertrandi oſcitantiam notare, qui Cajum ait notas ad libb. ffTar. Juliani ſcripſiſſe. Quod ſi ita eſſet, ſanè & hinc argumentum peteremus ſectæ eum Proculejanæ fuiſſe. Cæterum errore lapſus eſt; nam Leges, quas eam in rem adduxit, notarum Scævolæ in Julianum Marcellumque meminerunt.

Proculejanis quoque Urſejum Ferocem accenſet *Bertrand in vit. ej.* motus per *l.* 27. §. 1. *ff ad L. Aquil.* ubi Ulpian. ita: *Proculum exiſtimaſſe Urſejus refert.* Idcirco poſtea Julianus ut diverſæ familiæ ſectator notas ad eum conſcripſit libris IV. quos in indice recenſitos legimus. Et ſecundus allegatur in inſcriptione *l.* 48. *ff. de jure dot.* Obſervare adhuc liceat, quod *l.* 1. §. 10. *ff. quarum rerum act. datur.* ſine dubio emendanda videatur: ibi enim ita: *non Caſſius exiſtimaſſe Urſejum refert:* Cum tamen Urſejus poſt Caſſium vixerit, uti facilè apparet ex *l.* 10. §. 5. *ff quibus mod. uſusfruct. amitt.* Ubi Urſejus Caſſii auctoritate uſus: adeoque *in d. l.* 1. *quar. rer act. non detur.* ita legendum, *Caſſium exiſtimaſſe Urſejus refert.*

Ha-

Hactenus de Proculejanis, nunc de Sabinianis videndum, an & præter eos, quos recenſuit Pomponius, alii nonnulli iis ſint adjungendi. Fuiſſe autem inter eos & Q. Cervidium Scævolam arbitramur, celebrem imprimis Jureconſultum Severi ac Papiniani præceptorem *Lamprid. in vit. Severi.* qui prudentiſſimi encomio ornatur *in l.* 3. *C. Theod. de teſtam.* Veſtigia autem, ex quibus colligas eum fuiſſe Sabinianis addictum, ſunt *in l.* 39. §. 1. *ff. de negot. geſt.* ubi Paulus, *Scævola noſter ait, putare ſe quod Sabinus ſcribit, &c.* Itemque *in l.* 93. § *fin. ff. de ſolut. & liberat.* ubi ipſe disertè ſententiam Sabini contra Proculum diſſentientem amplectitur.

Præter hunc & Sextus Cæcilius Africanus Sabini ſcholam ſecutus. Hunc enim Iuliani diſcipulum fuiſſe putat *Accurſius in l.* 16. *ff. de pec. leg. & l.* 21. *de fidejuſſoribus*, id quod à veritate non adeò diſſentaneum videri cuiquam poſſet inſpicienti *l.* 3. §. 4. *ff. de agnoſcend. lib.* ubi Iulianus ſexto Cæcilio Africano reſpondiſſe dicitur, cui *add. l.* 38. *pr. ff. de condict. indebit. l.* 45. *ff. de act. empt. l.* 38. §. 4. *ff. de ſolut. & lib.*

Iungimus hiſce & TERENTIUM CLEMENTEM, quem Iuliano imprimis carum fuiſſe patet ex *l. 6. ff. de vulg. & pup. ſubſiſt.* cui adde *l. 24. ff. qui & à quibus manumiſſ.* Iuliani quoque auctoritate ſuam confirmat ſententiam *in l. 31. ff. eod.*

Huc referendus & MINICIUS NATALIS, ad quem Trajanus aliquando reſcripſiſſe legitur *in l 9 ff. de feriis.* Fuiſſe autem Sabinianum oſtendit Bertrandus ex *l. 6. §. 4. ff. de act empt.* ubi Sabinum reſpondentem refert. adde *l. 11. §. 15. ff. eod.*

Necnon & VINDIUS Sabinianis annumerandus, ſiquidem ex hac ſcholâ familiarem habuit Mæcianum, ut patet ex *l. 32. §. 4. ff. ad L. Falcid.* ubi Mæcianus eum vocat *ſuum.*

Egimus hactenus de iis Iureconſultis qui à Pomponio vel enumerati vel neglecti, omnes tamen ante ejus tempora vixerunt. Iam porrò inſpiciamus & poſterioris ævi Iureconſultos, nobilem imprimis quadrigam illam, *Pomponium*, *Papinianum*, *Paulum & Ulpianum*, an & hi ipſi ſectarum ſtudio acti fuerint. Pleriſque autem ita viſum eſt, haſce Iureconſultorum ſectas ad Antonini Pii ſal-

ſaltem tempora continuaſſe, qui ſolidâ ſatis ratione inducti videntur, quod in eis qui ad eam ætatem uſque vixêre Iureconſultis Pomponius conquieſcat. Verumenimverò, quantumvis non auſim aſſerere pari ardore diverſas haſce familias poſtea fuiſſe prorogatas, per tamen fit veriſimile hoſce poſterioris ævi Iureconſultos vel in aliam ſectam magis ſe inclinaſſe, & ſiquidem non diſertè id fuerint profeſſi, occultâ tamen æmulatione animos urgente tacitis diſſidiis laboraſſe. Idcircò nec Pomponius, conquieviſſe haſce altercationes meminit, quod certè facturus fuiſſet, ſi ante ſua tempora iis renunciatum eſſet.

Tum etiam eorum, quos præterea nos adduximus, pleriq; ex eorum, quos Pomponius nominavit, ſcholâ prodierunt. quos idcircò planè eorum opiniones deſeruiſſe non facilè credo. Lubens itaque largior non tanto amplius ſtudio poſteriores Iureconſultos hiſce incubuiſſe ſectis, fatendum tamen erit non omninò eos ab his, quæ à Præceptoribus erant inſtillata diſcedere potuiſſe. Quò ferè redit & ſententia *Gothofredi in manual. p.* 78. 1 *Merceri in conciliatore ſuo.* Sed merentur hæc paullò curatius per-

tractari. Ac principiò quidem reperimus nonnunquam Iureconſultos, relicta utriuſque diſſentientis familiæ opinione, mediâ inceſſiſſe viâ, more ſcilicet Stoicorum, quibus erat familiare μέσην ὁδὸν τέμνειν, unde eos erciſcundos fuiſſe dictos ait *Servius ad lib.* 3. *Æn.Virg.* Ita in quæſtione illa de ſpecificatione, poſt multos, inquit *Imperator Inſt. de rer. div.* §.25. *placuit media ſententia exiſtimantium*, quam & Cajus amplectitur *in l.* 7. §. *ff. de acqu. rer. Dom.* Sic & Paulus *in l.* 3. *ff. ſi pars hered. petat*: *Prudentiſſimè*, inquit, *Juris auctores medietatem quandam ſecuti*: *Idem in l.* 7. *ff. ut legator. ratione caveatur. Melius eſt per mediocritatem cauſam dirimere.* Ac proinde etiam laborare nonnunquam reperias in componendis antiquiorum, quin & ſui etiam ſeculi Iureconſultorum controverſiis poſteriores hoſce: Quemadmodum Pomponius *in l.* 26. *ff. de Legat.* 1. Sabini & Caſſii diverſas opiniones oſtendit, diverſis conditionibus locum habere, & utramvis poſſe ſubſiſtere: Pariter *Ulpianus in l.* 15. §. 32. *ff. de dam. infect. Illud quæritur ex quo tempore damni ratio habeatur, utrum ex quo in poſſeſſionem ventum eſt, an vero ex quo*

Prætor decrevit. Labeo ex quo decretum, Sabinus ex quo ventum in poſſeſſionem eſt: Ego puto cauſa cognita modò hanc modò illam ſententiam probandam. Notabilis ejuſdem eſt *Ulpiani* compoſitio *in l.* 14. *§.* 5. *ff. de uſu & habitat.* Ubi Labeonis primò ſententiam de ſervo uſuario proponit, poſtea addit, *nec offendetur illa Sabini ſententia,* eaſque invicem ſubtili ratione conciliat: Idem Octavenum cum Labeone in concordiam reducit *in l.* 18. *ff. de heredit. petit.* Ita & *Cajus in l.* 7. *§.* 7. *ff. de acqu. rer. dom.* controverſiæ Caſſii & Sabini cum Proculo & Nervâ intercedit. Proculum cum Caſſio conciliat *Paulus in l.* 40. *ff. de heredit. petit.* Æquè & Pomponii & Iuliani diſſidium compoſuit Ulpianus *in l.* 7. *ff. de dolo malo.* Meminit quoque Iuſtinianus *in l.* 10. *C. de adopt.* quæſtionis inter Papinianum & Paulum agitatæ, cui ſe Martianus adhibita diſtinctione interponit.

Præterea obſervandum, Iureconſultos poſteriores, ab antiquiorum diſcordiis, quæ vel certo jure jam conſtituto, vel unanimi diverſarum ſectarum conſenſu tandem ſopitæ eſſent, ſibi temperaſſe, nec eas facilè reſuſcitare voluiſſe:

Idcircò in his etiam non habita diverſorum argumentorum, quæ à diverſâ ſectarum parte ſtabant, ratione eò unicè ſpectabant, quod jam invaluerat: *Vid. Johan. Mercer. in conciliatore ſuo.* Primò igitur quædam controverſiæ ipſorum Iureconſultorum conſenſu intercedente compoſitæ erant: Quem conſenſum plerumque poſteriores indicant hiſce formulis, *pridem placuit*; *conſtat*, *convenit inter omnes*, & ſimilibus: Obſervavit id *Hotoman. in illuſtr. quæſt.* 28 *f.* 187. *ex l.* 46. *pr. ff. de furtis*, ubi Ulpianus, *inter omnes*, inquit, *conſtat*: Addē *l.* 38. §. 7 *ff. de contrahend. empt. veriſſimum eſt quod & conſtare videtur*; *l.* 5. §. 6 *ff. de injur. & fam. lib. quæritur an paterfamilias injuriam paſſus ex L. Corneliâ injuriarum agere poſſit & placuit non poſſe, deque eâ re inter omnes conſtat. Pridem placuit in l.* 3 §. 10. *ff. de muner. & hon. l.* 3. §. 2 *ff. de jure fiſci, l.* 17. §. 1. *de aqu. & aqu. pl.* & infinitis aliis locis: *Venulejus in l.* 3 . §. 1. *de novat. fere autem convenit. Papinianus in l.* 64 §. 4 *ff. de eviction. qui unum jugerum pro indiviſo ſolum habuit, tradidit, ſecundum omnium ſententias non tantum dominium tranſtulit. & Cajus in l.* 141. §. 3. *ff. de verb. obl.* ſe-

ſecundum omnium opinionem. Ulpian. in l. 1. §. 2. ff. de uſufruct. accreſc. Omnes auctores ad Plautium de hoc conſenſerunt: Quod *Bertrand. in Plaut.* pariter de conſenſu Sabinianorum & Proculejanorum intelligit. Similiter & *Paulus in l. 28. §. 3. ff. de donat. inter vir. & uxor. apud Plautium placuit*

Deinde etiam nonnullæ veteriorum controverſiæ certo jure jam conſtituto erant definitæ, quo pertinent hæ formulæ, *dubitatum, ſed obtinuit, hoc jure utimur, reſcriptum eſt: Hermogen. in l. ult. ff. pro legat. poſt magnas varietates obtinuit*, quâ formula utitur Idem *in l. 32. ff. de oblig. & Act. Modeſtinus in l. 4. ff. de captiv. & poſtlim. rev. variè tractatum: ſed definitum tandem: Ulpian. in l. 68. pr. ff. de uſufruct. Vetus fuit quæſtio, ſed Bruti ſententia obtinuit.* Idem *in l. 24. ff de acquir. hered. fuit quæſtionis & obtinuit.* Idem *in l. 1. §. 12. ff. ſi quis omiſſà cauſa. Sane quæſtionis fuit, ſed Labeonis ſententia obtinet. add. l. 127. ff. de Legat. 1. l. 10. pr. ff. de uſurpat. & uſucap. l. 5. §. 3. ff. de legat. præſt. contra tabb. Ulpianus in l. 27. § 1. ff. de recept. & qui arbitr. Labeonis ſententià non utimur.* Idem *in l. 19. ff. de hered. Inſtit.*

Ariſtonis ſententiam Javolenus probat & Pomponius, & hoc jure utimur. Gajus in l.43. §.1. ff. ad L. Falcid. Magna dubitatio fuit, ſed hoc jure utimur. Ulpianus in l. 4. ff. de Lege commiſſor. Sed jam deciſa eſt quæſtio, ut reſcriptis Imp. Antonini & D. Severi declaratur: Idem *in l. 12. ff. de Tutt & Curatorib. dat. quamvis enim contra ſit apud Celſum & alios pleroſque relatum, tamen D. Pius, itemque DD. Fratres ſic reſcripſerunt. add. l. 3. ff. de minorib. l. 20. ff. eod. l. 6. §. ult. de inoffic. teſtam. l. 9. §. 3. ff. quod metus cauſa, &c.*

Porrò in dubia quæſtione, ut plurimum ſe referebant ad eam ſententiam, à qua maximam partem ſtetiſſe antiquiores videbant; Hinc cum opinioni ſuæ auctoritatem conciliare volunt, addunt, *plerique putant*, *conſentiunt*, *&c. Ulpian. in l. 10. § 2. ff. de pact. Julianus ita ſcribit & alii plerique conſentiunt. Cajus in l. 17. §. 4. ff. de teſtam. milit. pleriſque placet. Africanus in l. 28. pr. ff. ad SC. Trebell. non immeritò dubitabatur & pleriſque placet Paulus in l. 2. §. 2. ff. de collat. bon. quæritur, & plerique putant.* Idem *in l 36. ff. de damn. infect. plerique dixerunt. in l. 2. §. 33. ff. ne quid in loco publ. ſcio tractatum & plerique putant.*

In

In id generis igitur & ſimilibus diſputationibus, Iureconſulti poſteriores ſepoſita animorum opinionumque diſſenſione, hâc plerumque viâ, quam modò deſignavi, incedebant, & in nullius ſcholam procliviores erant. Cæterum quandoquidem luculenta ſatis diſputandi materies adhuc ſubeſſet, dum & veterum controverſiæ aliæ magnam partem indeciſæ adhuc eſſent, & novæ inter eos ſubinde emergerent, etiam inter hoſce poſterioris ævi Iureconſultos in varias itum ſententias, ac prout quiſque Sabini vel Proculi principiis imbutus magis eſſet, tanto ſe magis vel in illius vel hujus opiniones inclinavit. Nec impedit quò minus id credamus, quòd Pomponium, Ulpianum, Paulum, Papinianum, modò Proculejanorum, modò Sabinianorum auctoritate uſos legamus, ita ut perinde ipſis fuiſſe, num hujus vel illius ſententias tuerentur, indè quis colligat: Enimverò jam ab antiquioribus illud factitatum, ut nonnunquam ad contrariæ ſcholæ dogmata tranſirent, ita etiam ut in quibuſdam cum adverſariis ſuis conſentirent contra ſuæ ſcholæ aſſeclas, qua de re infra commodior agendi locus erit.

Unde jam conſtat ex hiſce argumentis, quæ in medium adduximus, & quorum ſimul infirmitatem declaravimus, minimè colligendum definiendumque poſterioris ævi Iureconſultos nullam diverſarum ſectarum curam habuiſſe, quinimò nunc ſingulos, hoſce ſcilicet Pomponium, Papinianum, Ulpianum & Paulum excutiamus,& quas ſibi præcipuè ſectas quiſque elegerit, diſpiciamus.

Cap. VI.

Agitur de Pomponio, Papiniano, Paulo, & Vlpiano, quibus ſectis quiſque addictus fuiſſe videatur.

Quod primò attinet Pomponium, ſunt nonnulli qui eum Sabinianis accenſent: E quibus & *Bertrandus in vit. ejus*, id nimis audenter affirmat. *Cujacius* ſanè hic valdè dubius fuiſſe videtur, ſiquidem ad *l. 6. ff. comm. divid.* item *ad Pauli l. 54. Edict. p. 25.* eum diſertè Sabinianum fuiſſe dicit; Attamen ad *l. 28. §. ult. ff. de judic.* eum Proculejanis adhæſiſſe ſentit.

Nobis quidem illius ſcripta penitius paullò inſpicientibus ſtat ſententia, Procule-

culejanam præcipue ſcholam ſecutum eſſe, cujus imprimis opinionibus delectari ſolet. Hinc *recte putat Labeo contrà Trebatium*, inquit, *in l.* 21. *ff. hered. inſtit.* & *in l.* 22. §. 1. *ff. quando dies legat. Labeonis definitio probanda*: Proculi auctoritate utitur aliquoties *in l.* 16. §. 2. *ff. de evictlon. l.* 10. §. 1. *ff. ſolut. matrim. l.* 12. *pr. ff. de Legat.* 1. *l.* 58. *ff. de condit.* & *demonſtr. l.* 21. *ff. de acqu. rer. dom. l.* 21. *ff. de Verb. Oblig in l.* 28. *de acqu. rer. dom.* Sabini & Proculi controverſias attingit,& adProculi partes tranſit eumque probat; *add l* 16. §. 2. *ff. de evictionibus* Attilicini quoque utitur auctoritate *in l.* 48. *pr. ff. de Legat.* 1. Et Pegaſi diſtinctione *l.* 43. §. 2. *ff. de legat.* 2. & *Celſi in l.* 14. *ff. de verb. obl. l.* 29. *pr. ff. de ecrit.* Ariſtonem quoque ſæpius teſtem laudat, ut *in l. ult. ff. de acqu. vel com. hered.* ubi integrum ex eo locum adfert *l.* 21. *ad SC. Trebell. l.* 16. *ff. de ſolut.* Et ſuam ſententiam Ariſtonis opinioni conformat. *l.* 72 *ff. ad SC. Trebell. l.* 4. *ff. de operis libert.* Reſcriptum ejus recitat *in l.* 46. *de manumiſſ. teſtam. add. l.* 29. *de ſtatu lib. l.* 20. *de fideicom. libert.* Neratium quoque Priſcum ſequitur *in l.* 8. §. 2. *de liberat. leg. in l.* 3. *ff. pro ſuo*: *Nera-*

Neratius ita ſcripſit, idque verum puto. Neratium, Ariſtonem & Ofilium allegat conjunctim *in l.* 45. *de legat.* 1. *Neratius & Ariſto recte putant, l.* 5. *ff. de ſtat. lib.* Et ſic utique Proculejanorum ſententias diſertè probare ſolet: Sed cum Sabinianorum adfert, non æque cum emphaſi quadam illos probare videtur, ut *in l.* 6. *de condit. & demonſtr. Sabinus quoque & Caſſius ſenſerunt, quæ ſententia admittenda eſt*; Et cum Proculejanorum ipſe tanquam legiſſet allegare ſolet ſententias, Sabinianorum tanquam ab aliis acceperit, citat, ut *in l.* 6. *de ſtip. ſervor. quæ ſententia & Caſſii & Sabini dicitur.* Ante vero quàm à Pomponio digredior, obiter monere libet ſuſpectam eſſe *l.* 63. *§.* 9. *ff. pro ſocio.* ubi ita legitur, *& ait Julianus, Sextum Pomponium referre Sabinum reſpondentem.* quod ſine dubio ita emendandum: *& ait Julianum, Sextus Pomponius referre Sabinum*: Nam Pomponium Julianus allegare non potuit, cum illum præceſſerit; Pomponius autem & alibi allegat Julianum, ut *in l.* 18. *§.* 5. *ff. de damn. infect.* Igitur ex hiſce ut arbitror Pomponium ſcholæ Proculejanæ magis deditum fuiſſe apparebit, adeoque, & familiarem habuit Gajum,

quem

quem jam ſuperius Proculi aſſeclam fuiſſe probavimus: Hunc vero *in l. 39. ff. de ſtipulat. ſervor.* vocat ſuum: *non ſine ratione eſt quod Gajus noſter dixit.*

Ad Papinianum venio, celeberrimæ famæ Iureconſultum & multis Impp. laudibus ornatum, quas cumulat *Cujac. in præfat. ad Juriſpr. Papinian.* Et quoniam ad hoc famæ faſtigium enixus erat, ut cæteris omnibus palmam videretur præripuiſſe, idcircò non minorem ſibi penes alios ſui ævi Iureconſultos, Ulpianum puto ac Paulum (nam hoſce potius συζῶντας illi fuiſſe, non diſcipulos, eleganter oſtendit *Cujacius lib. 1. qu. Papin. p. m. 2.*) invidiam concitavit. Siquidem non temperarunt ſibi ab eo perſtringendo quoties ejus eſſet copia. Diſertè ſe aliquando ab ipſo diſſediſſe profitetur *Paulus in l. 97. ff. de adquir. vel amitt. hered. Papinianus,* inquit, *putabat repudiaſſe eum ex priore hereditatem, &c. dicebam non repudiare eum:* Durior adhuc in illum eſt *in l. 60. §. 4. ff. de ritu nupt. Et ait Papinianus, &c. Sed mihi hoc nequaquam placet, iniquum enim eſt, &c.* Nec civilius cum ipſo egit Ulpianus, id quod ſatis oſtendunt *l. 7. §. 7. ff. de minorib. l. 20. ff. eod. l. 13. §. 6.*

de

de hered. petit. l. 12. §. 42. *ff. de inſtruct. vel inſtr. leg.* Atque ut luculentius invidiam ſuam declararent, uterque notas in eum conſcripſit, quibus illum in pleriſque ſugillarunt: unde & conſtitutione Impp. Theodoſii & Valentin. *in l. unic. C. Theodoſ. de reſponſ. prudent.* hiſce notis omnis auctoritas abrogata; quam tamen poſtea illis reſtituit Juſtinianus, ut apparet ex *Conſtit.* 1. *de concept. Digeſt.* §. 6. quatenus ſcilicet Papinianum illuſtrarent ac interpretarentur: Idcircò & in ffis earum veſtigia ſuperſunt, ut *Ulpiani in l.* 31. §. 2. *ff. de neg. geſt. Pauli in l.* 1. §. 2. *ff. de uſur. & fructib. l.* 9. *de ann. legat.* quin ipſe Paulus *in l.* 3. §. 1. *de rebus eorum qui ſub tut.* Papiniani ſententiam allegat: & ſubjungit, *ego autem notavi.*

Cum igitur ad hunc apicem evaſerit Papinianus, credibile eſt eum nulli certæ ſectæ ſe penitus mancipaſſe, quin potius ex unaquaque adhibitâ judicii ſui cenſurâ ea ſelegiſſe, quæ ſolidioribus videbantur niti principiis. Iſtud interim in confeſſo eſt Sabinianas opiniones ipſi præ cæteris placuiſſe, imprimis quoniam & Præceptorem unà cum Severo poſtmodum Imperatore habuit Scævolam,

lam, quem jam Sabini ſectatorem fuiſſe demonſtravimus. Sub hoc enim cum Severo fuiſſe profeſſum Papinianum ſcribit *Lamprid. in vit. Severi.* Idcircò amat etiam Sabinianorum plerumque auctoritate ſuam tueri ſententiam. Sic *in l. 4 ff. de ſervit.* ſuam firmaturus opinionem, *id & Sabinum reſpondiſſe Caſſius retulit & ſibi placere,* ait. Similiter ſuam Sabini ſententiæ conformat. *l.* 28. *ff. comm. divid. add. l.* 115. §. 2. *ff. de Verb. Oblig. l.*37. §. 2 *ff. de adminiſt. tut. vel curator.* Et voce *merito*, Sabinum probat *in l.* 3 *ff. quando ex facto tut. vel curat. & in l.* 71. §. 3. *ff. de condit. & demonſtr.* Caſſium cum Cælio Sabino allegat *in l.* 72. §. 7. *ff. eod.* & Mæcianum æque Sabinianum allegat. *in l.* 86. *pr. ff. de acquir. vel amitt. hered.* Juliani quoque ſæpius utitur auctoritate, ut *in l.* 33. *fin. ff. de uſufr. & quemadmodum l* 62. *in fin. de rei vind. l.* 19. *de dol. mal. l.* 67. *de heredib. inſtit. l.* 26. *fin. ſi quis omiſſ. cauſa teſt. l.*43. *de bon. libertor.* & diſertiſſimè oſtendit quàm ſibi placeat Juliani ſententia *in l.* 18. §. 3 *ff. de ſtip. ſervor. Julianus ſcriptum reliquit, quæ ſententia mihi videtur firmiſſimâ ratione ſubnixa.* Diſertè aliquando contrariæ

ſcholæ

ſcholæ ſententias rejicit: *in l. 67. §. 8. ff. de legat. 2. non eſt Neratii Priſci ſententiæ nec conſtitutioni locus*. Verum non opus longius argumenta arceſſere, ipſe quantum Sabino detulerit ſatis oſtendit *in l. 6. ff de ſervis export. Nobis aliquando placebat*, ait, *non alias ex vendito, &c. Sed in contrarium me vocat Sabini ſententia, qui arbitratus eſt*. Ecquod quæſo illuſtrius teſtimonium deſideres? Solâ ſcilicet Sabini auctoritate permotus videtur ut contrarium ſtatueret.

Atque hæc hactenus etiam de Papiniano; ad Paullum me converto & Ulpianum, quos inter fribuſcula quædam interceſſiſſe inde colliges, quod nec Ulpianus Paulli, nec Ulpiani Paullus, uſpiam auctoritate uſus reperiatur: An id ex æmulatione factum, an aliunde odia exſtiterint, divinare non auſim. Neque diſſimulat ipſe Paullus, quippe in auditorio aliquando contrariam Ulpiano ſententiam ſe defendiſſe jactitat *in l. 43. ff. de act. empt.* Atque ita ſub voce *quidam* plerumque Ulpianum refellere obſervat *Cujac. lib. 3. quæſt. Paulli p. 72. ut in l. 8. uſufruct. quemadmod. cav. l. 9. heredi §. ſi duor. ff. de condit. & demonſtrat. l. pro emptore, §. ſi in diem.*

diem. ff. pro empt. adde l. 3. §. 2. *ff. mandat. l.* 6. *ff. de fideicomm. libert. l.* 1. §. *fin. de acquir. vel am. poſſeſſ. in l. autem* 40. *ff. de reb. creditis*, non indicari Ulpianum, ut quidam arbitrantur, ſed potius Papinianum, quippe qui in eâ fuit ſententiâ *l. debitor. ff. eod.* cum Ulpianus cum Paullo conſenſerit, *in l. rogaſti.* §. 1. *eod.* notat *Cujac. l. cit.* Atque idcircò facile crediderim magna inter hoſce opinionum fuiſſe diſſidia, quin etiam diverſarum ſcholarum unumquemque ſibi delegiſſe ſequendas ſententias. *Vid. Cujac. in not. ad animadverſ. Robert lib.* 1. *c.* 17. *p* 444. *Alberic. Gentil. de nupt. lib.* 5. *cap.* 10 *p.* 539. Quantumvis enim *Cujac in Paulli lib.* 26. *Edict. p.* 2. Paulum inter erciſcundos reponat per *l.* 3. *ſi pars hered. pet. l.* 7. *ut legator.* attamen eum in Sabini ſententias fuiſſe proniorem haud adeo infirmis argumentis liceat colligere. Principiò enim cum à Labeonis ſcholâ divortium meditaretur, ejus ſcripta notis confutanda ſibi ſumpſit: Id quod exſecutus eſt in epitome quâ Labeonis πιθανῶν libros contraxit. In quibus ſæpius diſertè Labeonis ſententiæ adverſatur, eamque oppugnat, *Vid. l.* 79. *ff. de R V. l. ult. ſi ſervit. vindic. l.* 53.

l.53. §.1. de act. empt. vend. l. ult. locat. cond. l. 5. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l.91. de furt. l. 28. de capt. & poſtlim. rev. &c. in quarum pleriſque ἀλγρρήδλω odium ſuum in Labeonem profitetur his verbis, *Minimè, Imò contra.* Quin præter Labeonem quoque Neratium Proculejanum notis ſuis reprehendit, editis ad eum libris IV. quarum notarum meminit *l. 63. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Atque ita è contrario plerumque Sabini ſententiam diſertè ſequitur, ut *in l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel am. poſſeſſ. in l. 10. ff. de hered. inſtit. expeditum eſt quod Sabinus ſcribit, ad l. 50. pr. de legat.* III. *plerumque ſentiendum quod Sabinus ait, in l. 9. ff. quæ in fraud. credit. ve ior eſt Sabini ſententia.* Quinimò diſertè Juliano quantum tribuat oſtendit *in l. 43. ff. de act. empt.* ubi is qui conſulebat ita: *Ego cum meminiſſem & Julianum in ea ſententia eſſe, &c. quæro quæ ſententia vera eſt:* Reſpondit Paullus, *Semper probavi Juliani ſententiam.* Hoc verò omnium maximè hanc mihi ſententiam de Paullo adfirmat, quod & ipſe Præceptore Scævolâ Sabiniano illo uſus videtur, eumque imprimis magnifeciſſe, quod inde liceat intelligere quod multoties,

toties, Scævolam *ſuum* appellitet. Sic *in l. 24. §. 2 ff. de minorib. Scævolæ noſtro viſum eſt, in l. 38. §. 3. de vulg. & pupill. ſubſtit. Q. Cervidius Scævola noſter dicebat, in l. 6. §. 2. de reb. auctor. jud. poſſid. Scævola noſter ait. l. 27 §. 2. de pactis, hæc & Scævolæ noſtro placuerunt. ad l. 32. ff. de excuſat. l. 56. ff. de jur. tot.* Atque hunc Scævolam frequentaſſe Paullum apparet ex *l. 19. ff. de lib & poſth.* ubi ſe eum diſputantem audiviſſe innuit his verbis: *Scævola reſpondit, non valere, & in diſputando adjiciebat, ideo non valere, &c.*

Denique & paucis de Ulpiano videamus, quem ſiquidem jam de Paullo res liquida ſit, fuiſſe Sabinianæ ſectæ, facilius dignoſcere licebit, cum contrariæ ſine dubio ſcholæ dogmata eum foviſſe exiſtimemus. Uti igitur Paullus Labeonis, ita hic Sabini ſcripta notis perſtrinxit, ad eaque ſcripſit libb. LI. quos perperam nonnulli credidere Fabio Sabino illi, quam *Lampridius* inter Papiniani diſcipulos recenſet, inſcriptos fuiſſe, atque idcircò ad Sabinum dictos. Quo nomine vapulat quoque *Antonio Mercatori in not. ad Robert. lib. 1. cap. 14. Joan. Robert.* Trivialis error hic fuit pri-

mum

mum notatus *Antonio Auguſtin. emend. lib.* 2. *cap.* 6. Hiſce igitur notis ſatis oſtendit animum ſuum à ſcholâ Sabinianâ alienum. Itaque nonnunquam cum Sabini ſententiam recipere coactus eſt, ita frigidè eam admittit: ut *in l.* 71. §. 9. *ff. de adquir. vel amitt. hered. magis eſt, ut putem iſtic ſententiam Sabini accipiendam.* Quin quæſo quam illudit Sabino *in l.* 11. *de in diem addict. fundum in diem addici iterum non poſſe qui ſemel addictus fuit aſſerenti, quod prioris fiat confeſtim emptoris: ſcilicet* (ſuperbè ſatis addit Ulpianus) *quaſi non videatur melior conditio allata quia non ſecure: in l.* 17. §. 5. *de præſc. verb. ait, nec recipienda eſt Sabini opinio.* Imprimis hanc in rem notari meretur *l.* 12. *C. de condict. indebit.* ubi in quæſtione, de quâ cum Papiniano decertabat, Proculejanæ ſcholæ auctores Celſum & Marcellum ad partes ſuas vocat, ſibique conſonantes refert, cum Papinianus Sabinianorum auctoritate uteretur.

Hæc ſunt quæ de pleriſque Jureconſultorum hæreſibus & quibus addicti ſectis fuerint huc congerere per temporis ac inſtituti rationem licuit: Nunc quæ reliqua ſunt perſequamur.

CAP.

C a p. VII.

De Veterum Iureconſultorum diverſas ſectas ſequentium indole diverſâ, eorumque modeſtiâ.

De eruditione veterum Jureconſultorum ac peculiari cujuſvis ſcribendi genere non inerudita quædam obſervavit *Angel. Politian. lib.5.epiſt.* Nos imprimis in diſcernendâ diverſarum ſcholarum indole operam noſtram collocabimus. Cujus quidem rei jam tum fundamenta jecimus, quando ſuperius de diverſo eorum ingenio, qui harum familiarum fuerunt Principes, diſſeruimus: Ita ſcilicet Attejus Capito, cum Labeoni obniteretur, veterum Jureconſultorum ſententiis plerumque inhæſit, cum Labeo ſua ingenii fiducia pleraque innovare conaretur *l.* 2. §. 47. *ff. de O.I.* Hinc factum ut qui ex Atteii ſchola prodierunt, Sabiniani & Caſſiani, magis etiam ad opiniones veterum deflecterent quàm factum à Proculejanis. Indicat id *l.6. ff. de condict. ob turp. cauſ. Perpetuò Sabinus veterum probat ſententiam exiſtimantium, &c.* Conf. *l.* 27. §. 21 *ff. ad L. Aquil. l.* 51. §. 1. *ff. eod. l*, 12,

l. 12 *de auctorit. tutt. l. non omnium ff. de legib. Vid Merillium Obſ. lib.* 1. *cap.* 9. cum contrà Proculejani novis plerumque ſententiis ſuiſque figmentis delectabantur, quod perſpicuè cernere eſt in Ariſtone, de quo Iureconſultus *in l.* 1. § 9. *ad L. Falcid. Veteres*, inquit, *æſtimandum totum uſumfructum putabant & ita conſtituendum quantum ſit in legato, ſed Ariſto à veterum opinione receſſit*. Imprimis autem cauſam diſſidii inter haſce familias dediſſe, diverſam quam ſequebantur philoſophandi rationem, probabile videtur: Siquidem Sabiniani non adeo philoſophorum ſententiis ſe mancipabant, ut Proculejani, quibus Stoica præcipuè philoſophia in deliciis erat. Hanc enim jam à Labeone per manus ſibi traditam ſummo ſtudio excoluiſſe eos oſtendit *Em. Merill. Obſerv. lib.* 1. *cap.* 14. *& ſeqq.* quod jam ſupra attigimus.

Inde eſt quod Proculejani Arithmeticam proportionem, Geometricam verò Sabiniani ſequebantur, illi ſcilicet more Stoicorum. *Vid. l.* 50. *ff. de Leg.* 1. *l.* 13. *de lib. & poſth. l.* 23. *C. de legib. l.* 21. *C. de furtis.* Conf. *Merill. d. l. Obſerv.* quo ipſo capite ut & præcedentibus

bus ſubſequentibuſque multa quæ huc faciunt congeſſit. Quale & illud eſt quod Sabiniani naturalem rationem plerumque ſecuti in iis caſibus, qui rationi videbantur magis conſentire: uti in illa de ſpecificatione controverſiâ *in l.* 7. §. 7. *ff. de A. R. D.* ibi : *magis naturalem rationem evincere* : Cujus & illuſtre exemplum eſt *in l.* 65 §. 3. *ff. de legat.* 3. ubi Marcellus ex ſententiâ Sabinianorum (hoc enim ſub voculâ *alii* indicat) pronunciat de ornatricibus legatis, *quia humanæ naturæ magis id eſſet congruum*. In vocum etymologiis & ambiguitatibus curioſiores erant Proculejani quàm Sabiniani : ita ut nonnunquam inde argumenta duxerint : ut ex Labeone refert *in l.* 77. *ff. de contrah. empt. Javolenus, ſi lapis non cæditur non ibi ſunt Lapidicinæ*. Sic ex vocis *poſſidere* accuratâ contemplatione negat Labeo, ſi plures ſint in fundo qui ignorent quotam quiſque partem poſſideat , *eos merâ ſubtilitate* poſſidere *in l.* 32. §. 2. *ff. de uſurpat. add. l.* 20. *ff. de reb. cred. Vid. Phil. Iacob. Mauſſacum in diſſert. crit. Harpocrationi annex. Ioannem Bellonum de arg. leg. cap.* 1.

A quâ ſubtilitate Sabiniani erant alieniores,

niores, quippe qui potius rem ipſam pertractabant, & quantum licebat æquiores amplectebantur ſententias. Oſtendit id exemplum Pauli *in l.* 20. *§.* 2. *ff. de ſerv. præd. urb. ſi ſublatum,* inquit, *ædificium ſit ex quo ſtillicidium cadit, vel eadem ſpecie & qualitate reponatur; utilitas exigit ut idem intelligatur, nam alioquin ſi quis ſtrictius interpretetur, aliud eſt quod ſequenti loco ponitur.* Conf. *l.* 51. *fin. ad L. Aquil Imprimis vel l.* 13 *ff. de lib. & poſth. ubi Julianus; quamvis ſubtili regulæ Juris conveniebat ruptum fieri teſtamentum, tamen ad hujuſmodi ſententiam humanitate ſuggerente decurſum eſt.* & *l.* 25. *ff de donat. Quæ eſt* Javoleni, *quantum ad juris ſubtilitatem accipientis facta, ſed benignius eſt, &c.* Sic & Scævola, benigna interpretatione placet *in l.* 67. *ad SC. Trebell.* & imprimis Juliani humanitas toties laudata reperitur Ulpiano, ut in colligendis exemplis operam conſumere tædeat. Quantumvis tamen meminerim & Sabini ſcrupuloſitatem aliquando notatam *ab Imp. §.* 36. *in Inſtit. de Legat.* Eſſent quidem multa hic accuratius evolvenda, ſed cum id nec temporis nec inſtituti noſtri ratio nunc permittat, fraudi non

erit

erit hæc levi ſaltem brachio attigiſſe, quæ uberius aliquando cum ocium erit illuſtrandi animus eſt.

Progredior nunc ad alteram capitis hujus partem, modeſtiam nimirum veterum Iureconſultorum, tam eorum quâ in confutandis adverſariorum ſententiis uſi, quàm quâ ſuis etiam erroribus agnitâ veriori opinione ſine ullâ pervicaciâ renunciarunt. Exemplo ſane eſſe meretur inſignis illa modeſtia, quando contrarias opiniones impugnant, quam pereleganti oratione celebrat, magni nominis Jureconſultus *Anth. Matthæi de modeſt. veter. Jureconſult. Falſum id eſſe dicunt quod ille ajat, l.* 49. §. 2. *ff. de legat.*2. *non eſſe verum, l.* 3. §. 3. *ff. de A. vel A.P. ſibi magis placere, l.* 12. §. 1. *de aqua & aqua pluv. commodius dici, l.* 4. §. 7. *ff. de uſurpat. & uſucap. Ego contrà, mihi videtur, nos & hic opinamur, l.* 3. *ff. de rivis. Ego proclivior ſum, l.* 11. §. 15. *ff. de leg.*3. *vereor ne non ita ſit, l.* 59. §. 1. *ff. de jure dot. Vereor ne poßit ita eſſe, l.*45. §. 5. *ff. de Ritu nupt. ad l.* 67. *ff. eod.* Conf. *Duaren.* 2. *diſp.* 11. Quin ipſorum diviſæ hujus familiæ Principum Atteii Capitonis & Antiſtii Labeonis illuſtre exemplum eſt. Quamvis enim & inge-

niis & ſententiis eſſent diſſimillimis, non tamen Labeonis nomini ac famæ derogare quicquam voluit Attejus, quippe cum in epiſtolâ quadam apud *Gell. lib.* 13. *cap.* 12. Labeonem laudet ut *Legum juriſque apprimè doctum.* Scilicet ita veteres illi laudabili ac honeſtâ æmulatione ſe invicem excitabant, non quò alium ſupplantarent, aut honori ac famæ ejus, quoquo modo poſſent, irent obſtructum, multò minus neſcio quâ bile perciti acrius quam decebat animum humanitate imbutum in antagoniſtas inveherentur, ſed ſolæ literæ, ſola ipſis ſtudia meta ac carceres erant in quibus ceu patentiſſimo ſtadio æmulationis ardor continebatur. Plane ut de Hortenſio æmulo ſuo ſcribit *in Bruto* 1. *Cicero: Dolebam (ſcil. morte Hortenſii) quod non adverſarium aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potiùs & conſortem glorioſi laboris amiſeram; Etenim ſi in leviorum artium ſtudiis proditum memoriæ eſt Poëtas nobiles æqualiu Poëtarum morte doluiſſe, quo tandem animo interitum ejus ferre debui, cum quo certare glorioſius erat, quam omnino non adverſarium habere, cum præſertim non modo nunquam ſit aut illius à me curſus impeditus, aut ab illo meus; ſed*

contra ſemper alter ab altero adjutus & communicando & monendo & favendo. Etſi autem Jureconſulti illi veteres nonnunquam humanæ fragilitatis culpâ alios quoſdam ſugillaſſe non diffiteamur, id tamen obſcurè plerumque factum & εἰρωνικῶς, non tamen impudenter adeò ut modeſtiæ penitus fines excedant. Exempla ejus rei lubet quædam ſubjungere. *Paulus in l. 9. ff. in quibus cauſis pign. vel hypot.* Nervam ſcribit deriſum qui per feneſtram monſtraverat ſervos ob penſionem detentos liberari poſſe. Quod tamen non inſultando ſed argumentando factum fuiſſe putat *Cujac obſerv. 17 cap. 39.* Mutii illa in Scævolam objurgatio *in l. 2. § 43. ff de O. I.* familiaritatis potius quam infenſi animi indicium eſſe videtur. Sed *Alciatus lib. 4. parerg. cap. 1* Scævolam putat à Claudio rideri *in l. 109. ff. de condit. & demonſtr.* ubi Claudius notat ad reſponſum Scævolæ, *Magno ingenio reſpondit Scævola de jure aperto, cum poteſt dubitari, an in propoſito condicio eſſet.* Nec ironia caret illa *Ulpiani in l. 3. §. 2. ff de admin. & pericul. tut.* elegans & aſtuta formula: *Blandiuntur enim ſibi qui putant honorarios tutores eo nomine non te-*

teneri: tenentur enim ſecundum ea quæ ſupra oſtendimus. Paullus in l 38. §.ult. ff.de A.vel A.P. Q Mucii ſilentium vocat *ineptiſſimum.* Idem videtur & Marcelli notas in Iulianum reprehendiſſe *in l. 82. ff. de Legat. 2. Calumnioſa enim illa annotatio eſt poſſe legari ſervo, &c.* Utuntur nonnunquam in refutandis perſtringendiſque ſententiis hiſce vocibus, *perabſurdum, inconditum, incivile eſt. Vid. l. 17. §. 22. de injuriis, l.86 de ſolut. l.95. §. 2. de fidejuſſor. l. 8. §. 7. de precario , l. 4. §. 3. de ſtatu lib. l. 15. de manumiſſ. vind. l.63. ad L. Falcid. Julianus in l. 30. ff. de lib. cauſa. Ridiculum eſt arbitrari.* Oſtendunt nonnunquam adverſariorum ſententias parum auctoritatis habere propter illorum, qui eam tuebantur, contemptum:ut Proculus referente *Ulpian. in l.17. §. 4. ff. de ædilit. edict. Quod plerumque ab imprudentibus dici ſolet non eſt verum.* Cujus notæ & illud Paulli eſt *in l. 56 ff. de evict. non tamen ut vulgus opinatur etiam ſatisfacere debet, &c.* E contrario ſuæ ſcholæ auctores honeſtiori nomine indigitabant : *Papinianus in l. 54. pr. ff. mandat. Placuit*, inquit, *prudentioribus, affectus rationem in bonæ fidei judiciis habendam,*

bendam, & *Ulpian. in l.* 6. §. 2. *ff. ad municipal. Viris prudentibus placuit duobus locis poſſe aliquem domicilium habere.* Nonnunquam, cum diſplicet contraria ſententia, humanitatem obtendunt, & ſententiam, à qua diſcedunt, ut duriorem incuſant. Sic *Ulpianus in l.* 14. §. 9. *ff. quod met. cauſa* Labeonis primò exponit ſententiam, tum addit: *Quod cum durum videbatur, ita temperandum eſt. Paullus in l.* 19. §. 2. *ff. comm. divid. Durius ait Pomponius communi dividundo vel pro ſocio agi poſſe.* Similiter Papinianus *in l.* 87. *ff. de leg.* 1. *Duriſſima ſententia eſt exiſtimantium denegandam filio Legati petitionem, ſi patris abſtinuerit hereditate.* Quemadmodum idem *in l.* 2. §. 1. *ff de cuſtod.* & *exhib. reor. ſed hæc interpretatio perdura, per nimirum ſevera.* In cæteris tamen omnibus excellit imprimis acutiſſima Celſi ſugillatio, cui perquam familiare ſententiis aliorum illudere ac ſe iiſdem velut in contemptū oblectare: Ita enim Proculi ipſius, cujus tamen ſequebatur ſcholam, ſententias eleganter aliquando deriſiſſe ſcribit *Ulpianus in l.* 10. *ff. de negot. geſt.* Idem aliquando durius in Domitium Labeonem legitur invectus *in l.* 27. *ff. qui te-*

ſtam facere poſſ. Cum enim rogaſſet Labeo an teſtium numero habendus eſſet is, qui cum rogatus eſſet ad teſtamentum ſcribendum. idem quoque cum tabb. ſcripſiſſet, ſignaſſet? Reſpondit Celſus: ***aut non intelligo, quid ſit de quo me quæris, aut valde ſtulta eſt conſultatio tua. Plus enim quam ridiculum eſt dubitare, &c.*** Sic *in l. 67. §. 2. ff. de furt. quid tam ridiculum eſt.* Et *in l. 59. § 1. quidam putant, &c. quod totum ineptum & vitioſum eſt. in l. 27. ff. de uſurpat. Celſus errare eos ait.* Et ſanè videtur hic Celſus non adeò partium ſtudiis addictus fuiſſe, quin imò liberrima voluntate in utraque verſatus hæreſi, & quæ ſibi ad palatum fuere nullo habito ſectæ ſuæ reſpectu ſelegiſſe. Inde ſæpius Sabinum ſecutus legitur, ut *in l 9. de ſervitut. l. 19. ſi ſervit. vindic. l. 6. de condict. ob turp. cauſam.* Illud quoque ad modeſtiam eorum referendum videtur, quod cum nonnunquam adverſariæ ſcholæ ſententiam perſtringunt, nominibus tamen eorum ad declinandam invidiam ſoleant parcere. Plerumque eos ſub voculis, *quidam, alii,* indicare conſueverunt. *Vid. Bertrand. in Paullo p.* 102. Sic Marcellus *in l. 56.*

pr.

pr. ff. ad L. Falcid. Plerique putant quod tunc, &c. Ego dubito, quoniam, &c. Notat hic Sabinianos, ut colligere eſt ex *l.* 83. *ff. eod.* Ita & *Julianus in l.* 21. *ff. de mort. cauſa donat. & Cajus in l* 57. *pr. ff. de manumiſſ. teſt. Sane ſunt quidam, &c. Sed mihi traditum eſt.* Idem *in l.* 18. §. 1. *ff. commod. ſcriptum quidem apud quoſdam invenio, quaſi dolum tantum præſtare debeas, ſed videndum ne & culpa ſit præſtanda. add. l.* 25. §. 1. *ff. quæ in fraud. credit. l.* 49. §. 1. *ff. de fidejuſſorib. l.* 73. *de ſolut. l.* 32. *ff. de furt. &c.*

Prætereà ut ſupra notavimus manifeſta ſatis & conſpicua in hoc quoque eſt veterum Jureconſultorum modeſtia, quod non ita nec certæ alicujus ſectæ opinionibus nec ſuis quoque peculiaribus ſententiis inhæſerint, ut nonnunquam ab iis diſcedere fas ſibi duxerint. Magna ſanè, quod non diffitendum, erat penes eos Præceptorum veneratio, quod luculenter ex hiſce exemplis patebit: *Julianus in l.* 5 *ff. de manumiſſ. vind. An apud ſe manumittere poſſit is, qui conſilium præbeat, ſæpe quæſitum eſt: Ego cum meminiſſem Javolenum Præceptorem meum in Africâ ſervos ſuos manumiſiſſe, cum conſilium præberet, exemplum ejus*

ſecutus ſum. Caji hac in parte religionem probat *l.* 57. *ff. de manumiſſ. teſt. Sunt quidam*, inquit, *qui ſic crediderunt, &c. Sed mihi traditum eſt hoc jure nos uti.* De eodem teſtis eſt *l.* 32.*ff.de damn. infect. Eſt & planè*, inquit, *noſtrorum Præceptorum hæc ſententia, ut credamus inutilem eſſe damni infecti ſtipulationem.* Quantum Caſſius Sabini Præceptoris ſui auctoritati tribuerit ſatis oſtendit *l.* 19. *ff. de recept. & qui arbitr. recep.* Eodem modo quoque accipio Paulum *in l.* 38.*ff.de donat. inter vir.& uxor. Quidam & Nerva ſic putant: quam ſententiam veram accepi* Et iterum eundem *in l.*27. §. 1. *ff. de pact.* ubi *contra quam quidam putant*, ait, *ſe didiciſſe, prodeſſe fidejuſſori exceptionem.* & *in l.* 15. *ff. de negoc. geſt. hoc & ego verius eſſe didici. adde l.* 20. *ff. de jure dot Terent Clem. in l.* 5. *de op. Servor. hoc & ego didici & Julianus exiſtimat. Scævola in l.* 48. §. 1. *ff. de vulg. & pup. ſubſtit. nos didicimus. Ulpian. in l.* 1. §.25. *ff. de vi & vi armat. Proculum didici dicere.* Idcircò & ille qui conſulebat *Javolen. in l.* 28. *ff. de reb. aut. jud. poſſ.* cum cauſam ſuam expoſuiſſet; *Me*, inquit, *illud maximè movet, quod Præceptoribus tuis placet unum eſſe teſtamentum.* Quam-

Quamvis hæc ita ſe habeant, ab anteceſſorum tamen ſuorum ſententiis ſæpius deflexiſſe, imò interdum & contrariam ſcholam ſecutos conſtat. Sic *in l.* 1. *ff. de act. rer. amot.* Paulus ait: *Rerum amotarum judicium introductum eſt adverſus eam quæ uxor fuit, quia non placuit cum eâ furti agere poſſe, quibuſdam exiſtimantibus, ne quidem furtum eam facere, ut Nerva, Caſſio, aliiſque, ut Sabino & Proculo, furtum quidem eam facere, ſed furti non eſſe actionem.* Cujac. quidem *ad Inſtit. tit. de rer. div.* hic permutatas ait eſſe Jureconſultorum familias: Verumenimvero cum id & aliis exemplis demonſtretur, ita ſæpius contrariæ ſcholæ ſententiam Iureconſultos fuiſſe amplexos, non eſt quod hic mutemus, quemadmodum eam in rem allegat *Gothofred. in d. l.* 1. *de act. rer. am.* exemplum *l.* 11. *ff. de juriſdict.* Inde fit ut diverſæ ſcholæ ſæpius etiam conjungantur. *Vid. Merill. obſerv. lib.*1. *cap.*14. *ut Sabinus & Proculus in l.* 14. *ff. de condit. & demonſtr. Sabinus & Caſſius, Labeo & Proculus contra Nervam in l.* 12. §. 1. *de operis Servor. Sabinus & Pegaſus in l.* 4. *pr. ff. de condict. ob turp. cauſam. Nerva, Sabinus, & Caſſius contra*

D 5 *Nera-*

Neratium in l. 57. ff. de contr. empt. Neratius & Sabinus in l. 17. §. fin ff. ſolut. matrim. Caſſius & Pegaſus in l. 12. §. 2. ff. de uſufruct & quemadmodum. Caſſius & Celſus l. 1. §. 3. de fluminibus. Julianus & Proculus in l. 36. pr. de hered. petit. Celſus & Julianus in l. 1. §. 3. de uſufruct. accreſcend. Julianus Proculi opinionem ſecutus l. 6. §. 1. ff. de lib. & poſth. Quantumvis præterea nonnunquam privatæ ſibi ſententiæ quidam tenaciores eſſent, ut Ulpian. *in l. 3. §. fin. ff. uti poſſid. hoc nequaquam opinandum*. Idem *in l. 10. §. 14. quæ in fraud. credit. hoc certo certius eſt, & in l. 1. §. 1. ff. de leg. 3. conſtanter dicemus, in l. 10. §. 2. ff. de teſt. tut. habet diſceptationem, & fortius dicendum. Paullus in l. 2. ff. ne quis eum qui in jus. Sed & fortius dicendum.* Sæpius tamen etiam ubi validiora in contrariam ſententiam rationum momenta cernerent, in eam concedere non detrectarunt, quantumvis antea contrariam ſententiam tenuiſſent: Elegans eſt exemplum Papiniani *in l. 6. ff. de Serv. exportand.* Idemque & in aliis, Juliano, Scævola, Mæciano, &c. oſtendunt probantque *Cujacius 4. ad Afric. fol. 39. & Obſerv. lib. 2. cap. 37. Gothofred. ad*

l. 75.

l. 75. ff. de R. I. Denique generatim de harum ſcholarum indole pronunciat *Petr. Frid. Mmdan. in Tr. de poſſeſſ. cap.* 10. *num.* 9. Sabinianos longe fuiſſe modeſtiores Proculejanis, hoſque interdum παρὰ ῥυθμὸν ad rixas proniores, quo nomine etiam Imp. *in §. cum quis ex alieno. Inſt. de R. D.* Proculejanos nimium à Sabinianis digreſſos ad mediam viam revocat. Hactenus de indole ac modeſtia Iureconſultorum; Proximum eſt ut & de veſtigiis, quæ in Digeſtorum volumine Compilatorum incuriâ relicta dicuntur agamus.

CAP. VIII.

De veſtigiis diſſenſionum inter familias agitatarum, quæ in Digeſtis relicta creduntur, ac de compoſitione earum

Multorum pridem acerbis convitiis lacerata compilatorum, Triboniani imprimis fama, indigniſque modis habita, adeo ut quorumvis, qui hiſce ſeculis laureolam aliquam inter Jureconſultos aucupati ſunt, intercalare carmen fere ſit Triboniani incuria, negligentia, inſcitia, impudentia. Non eum me eſſe ſatis memini qui afflictam ejus

ac

ac prope conculcatam exiſtimationem ab obtrectatorum calumniis vindicare queam: Quo in negocio non defuerunt quoque ævo noſtro illuſtria quædam ingenia, quos operam collocaſſe non pœnituit, ut hac ratione temere nimis expoſitam quorundam ludibrio Juriſprudentiæ Juſtinianeæ dignitatem omni opere tuerentur. Qua interim in re culpam Triboniano adſcribant ſtrictim recenſet *Jul. Pac. in meth. juris, lib*, 2. *pag.* 25. *& ſeqq Hotomann. in anti-Tribon. cap.* 9. Inter cætera hæc ferè ſunt præcipua: 1. quod multa veterum Jureconſultorum loca non ſatis intellexerit, partim propter obſcurum rotundumque eorum dicendi genus, partim propter multa in iis antiquitatis veſtigia, partim etiam propter ſigla & notas quibus Jureconſultorum libri erant pleni: *Vid. Cujac. ad fragm. Vlpian. tit.* 28. *Obſerv. lib.* 1. *cap.* 22. *& alibi. Freigium in ep.* 1. *de concept. Digeſt. præmiſſa paratit. Juris. Borcholt. in tit. de acquir. vel am. poſſ. cap.* 8, *num.* 39. 2. Quod plurima de ſuo addere, Jureconſultorum ſententias immutare, ac planè interpolare non ſit veritus. Eorum exempla paſſim liceat colligere in operi-

bus

bus *Budæi, Cujacii, Hotomanni, aliorum.* Sed inſigniter hic induſtriam ſuam nuperrimè oſtentavit *Jacobus Wiſſembach, Franecheræ quondam Anteceſſor, in libell.* quem *emblemata Triboniani* inſcripſit. Tandem & illud vitio vertunt Triboniano, quod iſtas illas tot antinomiis, tot Legum diſſidiis, tot rationum pugnantiis nobis concinnaverit refertiſſimas.

Quæ toleranda quidem fuiſſet quodammodo ſocordia, niſi eam altera multò magis funeſta cumulaſſet impudentia (loquor ore anti-Tribonianorum) quando compoſitis Digeſtis, ipſa Iureconſultorum ſcripta, unde Digeſta confecerat, aboleri juſſit. *Vid. Alciat. in l. apud Labeon. ff. de V. S. Decianum in Apolog. adverſ. Alciat. c. 7. ac Anton. Matthæi de viâ & ratione juris lib.* 1. *c.* 1. Unde *Jaſon ad l.* 1. *ff. de injuſt. rupto teſt.* conqueritur jus Romanorum in anguſtias à Triboniano detruſum, inde factum ut in plurimis legum diſſidiis componendis incaſſum laboremus, quod de integra Jureconſulti ſententia & paucis lineolis judicium ferre admodum ſit difficile. Atque hoc nomine præter alios in Tribonianum invehitur acer-

acerrimus ejuſdem inſectator *Anton. Matthæi*, qui modos quoq; omnes conciliandorum ἐναντιοφωνῶν rejicit *in fundam. jur. diſp.* 19. Item *in diſp. peculiari de Antinomiis juris*, ubi plurima Legum ex ſuâ ſententiâ inconciliabilium exempla coëgit. Ea verò diſſonantia maximam partem ex ſectarum ſtudiis propullulaſſe ecquis ambiget? Quæ dum perfunctoriè nimis excuſſit Tribonianus, nec quâ par fuit induſtria rimatus, fieri non potuit quin Syrtibus ac ſcopulis undique plenum relinqueret volumen. Cæterum ſi eam induſtriam, quam hoc argumentum exigit, nunc in evolvendâ hac difficultate collocare animus eſſet, non tam poſt Homerum Iliada pangere (quod dixerint illi qui familiarem hanc omnibus fermè cantilenam meminerint, qui non populari viâ ingreſſi, paullò altius Iuriſprudentiæ noſtræ μυστήρια perluſtrarunt,) quàm ulcus hoc Chironium tangendo temeritatem oſtentare videar. Interim tamen ἀποσπασμάτια quædam & quaſi fragmenta, quæ ex veterum Iureconſultorum controverſiis relicta nobis, colligere libet.

Ejuſmodi eſt Celſi & Juliani controverſia ab *Ulpiano lib. 5. ad Edict. in l.* 8. *§.ult.*

§.ult.de in jus voc. relata,de liberto quem Patronus coëgit ad jusjurandum, ne uxorem ducat, an ſcilicet Patronus ſeu filius ejus jus ſuum in eo retineret? Negabat Celſus, Iulianus contra, quem Ulpianus hîc probavit. Nimirum Iulianus humaniorem fortè ſententiam ſecutus, non levi adeo talo ſtare voluit vinculum illud ac jus inter Patronum libertumque,quemadmodum & in pari cauſa humanius agit cum Patrono referente Terent. Clement. *l. 31. ff. qui & à quibus manumiſſ.* Refragari tamen Ulpiano videtur *Paulus in l. 15. ff. de Iure Patronat.* Sed de Pauli ſententia hîc nobis conſtare non poterit, idque Triboniani culpâ,qui fragmentum illud ex medio opere Pauli decerpſit, & de quo jure Paulus ibi agat, dubium nobis reliquit.Ex antecedenti tamen lege,quæ eſt Ulpiani, conjicere licet, Paullum loqui non de juramento matrimonii non ineundi, ſed de juramento Patronatus, de quo in illa lege Ulpianus agebat. Quod ſi enim hunc textum de matrimonio intelligendum cenſeremus, ſui oblitus eſſet Paullus, cum de hoc juramento ejuſque effectu aliud ſcribat *in l.6. §.fin. ff. de jure Patronat.*

Fuiſſe

Fuiſſe & de pictura controverſiam, an cederet tabulæ an tabula picturæ, patet ex *l.* 23. §. 3. *ff. de R.V.* & §. 34. *Inſt. de Rer. div.* Cujus diverſitatis negligentiorem fuiſſe Tribonianum, ajunt, dum utramque Digeſtis opinionem inſeruit, Sabinianorum quidem *in d. l.* 23. Proculejanorum vero *in l.* 9. §. 3. *ff. de A. R. D.* Non attingam nunc varias Dd. conciliandi rationes, id ſolum profiteor levi momento componi poſſe hoc diſſidium, ſi uterque textus probe perpendatur.

Alia Sabinianorum & Proculejanorum exſtat controverſia *in l.* 3. & 4. *ff. mandat.* An is qui mandati fines exceſſit, adhuc actionem habeat contrariam in ſummam, de qua inter mandantem ac mandatarium convenerat. Eandem & *Imp. in* §. 8. *Inſt. mandat.* proponit, & fuſius eam explicat *Cujac Obſerv.* 12. *cap.* 34.

Non levis & illa erat controverſia de emptione venditione, an nummo non intercedente, ſed aliâ re, venditio contrahi queat, v. g. dedi togam ut tunicam reciperem: de qua *Paullus in l.* 1. *ff. de empt. vend.* & *Imp.* §. 2. *Inſtit. de empt. vend.* Hic verò ante omnia animad-

advertendum, Sabinianos in hac quæſtione videri ſolummodo ad Jus Gentium reſpexiſſe, non habitâ ratione Juris Romani, nec quas illud inter contractus hoſce ſuperinduxit diverſitates: Quomodo *H. Grot. de I.B. & P. lib.* 2. *cap.* 12. ubi agit de contractibus, omnia contractuum genera ad hæc tria retulit, do ut des, facio ut facias, facio ut des: Quàm hæc à principiis Juris Civilis ſint aliena cuivis in promptu erit exiſtimare, interim tamen ſepoſito hoc Jure Civili non impertinenter ex naturâ & ratione Juris Gentium licebit Jureconſulto philoſophari: Id quod feciſſe videntur & Sabiniani, quandoquidem hoc argumento uſi fuere, quod antiquiſſimis gentibus hic contrahendi modus (permutatio ſcilicet) loco emptionis ac venditionis fuerit uſurpatus §. 2. *Inſtit. de empt. vendit.* idque probant *in l.* 1. §. 1. *de empt. vendit.* teſtimonio *Homeri ex Iliad.* η. *verſ.*482. *& item* ζ. *verſ.*234. *Vid. Budæ. ad d. l.* 1. *ff. de contr. empt. Grot. in not. ad l.* 2. *de I.B. & P. cap.*12. *num.* 3. Sed cum Proculejani regererent, in emptione venditione pretium intercedere, quod in permutatione diſcernere non adeò in proclivi eſſet. Hac occa-

occaſione Sabiniani ad hanc quæſtionem dilabebantur, annon & in aliâ re quàm in pecuniâ numeratâ pretium conſiſtere poſſet: Id quod affirmabant: Cujus quidem ſententiæ *Alciatus in l. 2. de Verb. Oblig. num.* 18. patrocinium ſuſcipere voluiſſe videtur, quando neque dùm perpetuam inter hæc dari poſſe differentiam ſtatuit. Vide hæc paullò aliter diſputantes *Salmaſ. de uſur. c.* 13. *Vinn. comm. ad Inſt.* §. 2. *de empt. vendit.* Cæterum definita poſtmodum hæc controverſia utriuſque ſcholæ conſenſu fuiſſe videtur, id quod Iureconſultus voce *placet in l.* 5. §. 1. *ff. de præſcript. verb.* indicare voluit. *Quia non placet,* ait, *permutationem rerum emptionem eſſe.* Ita & Impp. *Dioclet. & Maxim. in l.* 7. *C. de rer. permut. Emptionem rebus fieri non poſſe pridem placuit.*

Proponitur etiam à Scævola *in l.* 14. *ff. de Iure Codicill.* quædam Sabini & Proculi differentia, cujus hæc eſt ſpecies. Titius teſtamentum fecit & Cajum heredem inſtituit, Sejum ſubſtituit: Adjungit teſtator poſtea codicillos, ante eos autem perfectos moritur inſtitutus heres Cajus, quæritur an Sejus ſubſtitutus ad legata præſtanda teneatur,

neatur, quæ codicillis adſcripta ſunt. Adfirmabant id Sabiniani, generali hac regulâ moti, codicillos vires ſuas ex teſtamento capere *l.* 3. §. 2. *ff. de Jure Codicill. l* 1. *C. eod.* Jam vero cum teſtamentum hoc caſu valeret, idcirco & codicillos eadem ratione valituros. Scævola vero hic ad Proculi partes ſecedens hoc argumento Sabini opinionem confutat: prius perſonam eſſe quærendam quàm juris rationem; cum verò is cui relictum erat legatum in rebus humanis tempore factorum codicillorum non fuiſſet, inutile illud principiò ſtatim fuiſſe conſtat. Idcircò contra Sabinum conſtitutum fuit, ut ſi eo tempore quo cui legaretur in rebus is humanis non eſſet, legatum pro non ſcripto haberetur: *Ulpian. in l.* 10. *ff. de h. q. pro non ſcript. add. l.* 2. §. 1. *ff. de jure codicill.*

Ingens quoque de ſpecificatione diſſenſio harum ſcholarum fuit, quam proponit *Caj. in l.* 7. §. 7. *de acqu. rer. dom. & Imp. in* §. 25. *Inſt. R. D.* Hujus controverſiæ veſtigia relicta dicunt *in l.* 61. *ff. de R. V. & l.* 26. *pr. ff. de A. R. D.* In quibus conciliandis multus labor eſt interpp. *Vid. Donell. lib* 4 *c.* 12. *Lyclam.* 7. *membran. eclog.* 5. *Em. Merill. obſerv.* 2. *cap.* 21.

cap. 21. *Ungepaur. exerc. pag.* 274. *Ant. Faber conject. lib.*6. *cap.*15. *Bacchov. ad Treutl. vol.* 2. *diſp.* 20. *theſ.* 7. *lit. A. B. D. Strauch. diſſ.* 6. *num.* 50.

In materia poſſeſſionis nobilis eſt illa *de poſſeſſione duorum in ſolidum* controverſia, cujus etiam ſuperſunt veſtigia, ut apparebit ſi conferas *l.* 35. *l.* 4. *ff. de precar. l.* 3. *pr. ff. uti poſſidetis, l.* 15. §. 17. 18. 19. *ff. de dam. infect. cum l.* 3. §. *ex contrario ff. de A. vel A. P. l.* 19. *ff. de precar. l.* 5. §. *ult. ff. commod.* Adeoque fruſtrà videtur eſſe *Mindanus*, qui diſſenſionem hic inter Iureconſultos fuiſſe negat, argumentis rigidum examen non paſſuris *tract. de poſſeſſ. cap.* 10. *n.* 5. 11. 12. 13. Cæterùm de totâ hac controverſiâ eruditiſſimè egit *Georg. Biccius in comm. ad l. poſſideri* §. *ex contrario ff. de A. vel A. P.* Conf. *Aurel. Galvan. de uſufruct. cap.* 34. *n.* 15. *Cornel. à Rentelen. controv. jur. tit. de A. vel A. P. q.* 55. 56. 57. *Borcholt. de A. vel A. P. cap.* 6. *num.* 18. & *ſeqq. Bacchov. ad Treutl. vol.* 2. *diſp.* 21. *lit K.*

Alias quaſdam paullo leviores habemus *in l.* 26 § 2. *ff. de legat* 1. *l.* 28. *ff. de A. R. D. l.* 1. §. 14. *ff. ad L. Falcid. l.* 115. §. *L. Falcid. V. O. l.* 138. *ff. eod.* &c.

Quod

Quod tandem compoſitionem harum controverſiarum attinet, pleraque jam antevertimus annotare ſuperius quæ hanc in rem adferri poſſent. Imprimis autem illud animadvertendum, ſiquidem litis exitum ipſi non reperirent inter ſe Jureconſulti,ad Principem ejus arbitrium fuiſſe delatum, qui definitivâ ſententiâ pronunciatâ,ulteriorem ſimul altercandi materiam præcidebat: *Vid. Em. Merill. obſerv. lib.* 1. *cap.* 22.

Sic aliquando ſecundùm Proculi ſententiam reſcriptum eſſe, teſtatur *Paulus in l.* 7. *ff. quæ in fraud. credit.* & *Papinianus in l. ult. ff. ſi à parente quis manum.* refert ex conſilio Neratii & Ariſtonis Trajanum aliquando reſpondiſſe: Demum verò Juſtinianus Imp. pleriſque ſaltem præcipuis veterum Iureconſultorum controverſiis finem imponere ſtatuit, unde L. Deciſiones illas promulgandas curavit, quibus veterum Iureconſultorum altercationes ſe compoſuiſſe gloriatur *in l.* 2. *C. de vet. jur. enuc.* Quibus de deciſionibus pluribus nunc agere non vacat. Illuſtre hoc argumentum diverſimodè magnorum Iureconſultorum operam fatigavit. *Vid. Franciſc. Raguell. comm. ad L. Deciſ. Em. Merill.*

rill. obſervat. ad L. Deciſ. Ludwell. diſp. de iiſdem Magnif D Strauchii, quondam Præceptoris mei ætatem devenerandi, Exercit. ad L. Deciſ. Juſtinian.

Cap. IX.

De Auctoritate diverſarum ſcholarum, ac de diverſo Iuriſprudentiæ ſcholarumque Impp. tempore fato.

Quod ultimum jam reſtat diſſertationis noſtræ membrum aggredimur, auctoritatem videlicet diverſarum ſcholarum, quæ inde æſtimanda imprimis videtur, quorum ſententia uſus fori comprobaverit, ac pro certo jure recepta fuerit. Omninò enim credibile eſt alteram ex hiſce familiam honore ac fama eluxiſſe, quamquam vix veriſimile ſit perpetuam ac æqualem ſemper penes alteram fuiſſe auctoritatem, ita ut non alternis potius vicibus modò hujus, modò illius ſcholæ prævaluerit exiſtimatio, id quod ex iis quæ nunc adferenda liquidò apparebit. Hujus autem rei ipſi Iureconſulti nobis anſam præbent dum *auctoritatis veterum* meminerunt: Sic enim Pomponius *l. 2. de O. I. 42. Gallum maximæ auctoritatis fuiſſe* dicit

dicit §. 44. *Alfenum plurimum auctoritatis habuiſſe* §. 47. *maximæ auctoritatis fuiſſe Capitonem*. paullò poſt: *Caſſius plurimum in civitate auctoritatis habuit.* porrò: *Proculi major auctoritas fuit, nam etiam plurimum potuit*. Item *Scævola in l.* 69. §. 3. *ff.* de evictionibus: *Quidam exiſtimaverunt, ſed auctoritas Servii prævaluit, exiſtimantis*: *Imp. in Inſt. princ. de Codicill. Trebatii auctoritas tunc maxima erat.*

Quod jam attinet diverſarum familiarum auctoritatem, Proculejanis plerique præcipuam tribuunt. *Vid. Gœddæ. ad l.* 11. *ff. de Reg. Iuris Bacchov. ad Treutl vol.* 1. *diſp.* 17. *th* 5. *verb. aquam quærere. D. Georg. Biccium in comm. ad l.* 3. §. 5. *ff de A. vel A. P. part. poſt. membr.* 2. *qu.* 5 Moventur imprimis Pomponii verbis modò allatis. Cæterum textus hic probè examinatus, nequaquam illi opinioni adſtruendæ facit. Non enim ibi Pomponius comparationem inter Proculejanam & Sabinianam ſcholam inſtituit, ſed illud afferit ſolum, Proculi auctoritatem Nervæ potiorem fuiſſe. Nec illud pro auctoritate Proculi facit, quod *in l.* 7. *ff. de Iure Patronat.* à DD. Fratribus *non levis auctor* vocetur;

tur: Nullius enim fermè Jureconſulti encomio pepercerunt Impp. Parùm quoque veritatis illi videtur ineſſe aſſertioni, in definiendâ quadam controverſiâ Proculejanorum auctoritatem præpolluiſſe. In contrarium enim ſæpius Sabinianorum ſententias fuiſſe receptas multis exemplis demonſtrari poſſet. *Ulpian. in l. 7. §. 8. ff. de donat. inter vir. & uxor. cum Sabini ſententia ſit recepta.* Idem *in l. 3. §. 8. fin. ff. de lib. & poſth. Ita Sabinus & Caſſius & Julianus putant, quæ ſententia comprobata eſt. In l. 70. §. 2. ff. de Legat. 3. Sabini ſententia utimur. In l. 20. pr. ff. de uſurpat. & uſucap. obtinuit Sabini & Caſſii ſententia.* Quinimò ipſe Imp. in L. illis Deciſionibus diſertè nonnunquam Sabinianorum ſententias amplectitur. *Veluti in l. 3. Cod. de poſth. hered. inſtituend. Cumque Sabiniani exiſtimabant ſi vivus natus eſſet, etſi vocem non emiſit, rumpi teſtamentum, apparetque quod etſi mutus fuerat, hoc ipſum faciebat, eorum etiam nos laudamus ſententiam, & ſancimus.* Pariter & *in l. 10. Cod. de impub. & al. ſubſtit.* quæſtionem proponit, de qua inter antiquos auctores dubitabatur, poſtea Sabini ſubjungit ſententiam, additque: *Nos ejuſdem Sabini*

bini ſententiam veriorem exiſtimantes, ſancimus. Unde apparet, ex hiſce argumentis qui judicium ferunt, nimis imbecilli fundamento niti, atque idcirco hæc ex intima hiſtoria videntur eruenda, eaque ad inveſtigandam veritatem optima interpres & hic nobis viam munibit, atque ita tam de diverſarum ſcholarum, quam univerſæ jurisprudentiæ diverſis Impp. temporibus fato, mantiſſæ loco, quædam ſubnectere non erit incongruum. Ac principiò quidem jam tum inclinante inſervitium Reipubl. libertate, jurisprudentiæ ſtudium magnopere cœpit obſoleſcere, partim exinde quod tumidi ambitione plerorumque animi, qui libertate conculcata ſibi imperium adfectabant, hanc togatæ militiæ gloriam in minimis habebant, partim quod propterea deſertam velut à præclaris ac illuſtribus ingeniis Iuriſprudentiam invaderent rabulæ illi dicacitatis pleni. Innuere id videtur *Cicero lib. 2. offic. Itaque*, inquit, *cum multa præclara Majorum, tum quod optimè conſtituti Juris Civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio, quam quidem ante hanc temporum confuſionem in poſſeſſione ſua retinuerunt Prin-*

 cipes,

cipes, nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus eſt: Et in epiſt. ad Valerium *lib.* 1. *fam. epiſt. ult. M. T. C. S. D. Valerio Iureconſulto: Cur tibi hoc nomine gratificer neſcio, præſertim cum hiſce temporibus audacia pro ſapientia liceat uti.* Sed Auguſtus conſtituta ex arbitrio ſuo Republ. proſtitutæ adeo nobiliſſimæ huic ſcientiæ ſuccurrere voluiſſe videtur, quando conſtituit ne quis publice niſi impetrata venia reſpondendi munus ſibi arrogaret, *Pompon. l.* 2. *de O. I.* §. 47. Unde Tribonianus *in* §. 9. *Inſt. de I. N. G. & C.* Iureconſultos definit, *quibus jus reſpondendi à Cæſare datum erat.* Hic igitur Imp. magno in pretio habuit Iureconſultos, Trebatium imprimis, ut ex *Horat.* 1. *ſat.* 2. conſtat, quem etiam in conſilium præter cæteros adhibuit, quando jus codicillorum introducere voluit, *pr. Inſt. de Codicill.* Hujus autem diſcipulum pari non habuit numero: Labeonem dico Antiſtium, qui ut à vita communi abhorrebat, ita nec in concilianda Auguſti gratia multum ſollicitus, ſibi Muſiſque vacavit. Sed Attejus Capito majorem apud Imp. conſecutus auctoritatem, dum ut ventus in

alto

alto erat exin vela capere gnarus, aulæ ſe accommodabat, atque adeo in ſtudiis etiam juris civilis ea ſequebatur, quæ præſenti rerum ſtatui magis apta videbantur, cum Labeo novis ac commenticiis opinionibus nimium indulgens, contratiâ planè viâ incederet. Hæc ut ſupra demonſtratum prima novarum factionum exordia, quæ deinde magis exarſere inſecutis TIBERII temporibus: Hic quidem Imp. principio à cultu Iuriſprudentiæ non adeo abhorruit, id quod ea, quæ ex reſcriptis ejus ſuperſunt, inter alia perſpicue oſtendunt *l.* 41. *ff. de hered. inſtit. l.* 38. *§. ult. ff. ad l. Jul. de adult. Vid. Magnif. D. Rebhan Patronum ac Præceptorem meum multis nominibus honorandum in hodeg. chart.* 1. *pag.* 6. Sed cum paullatim in pejus mutaret, etiam poſtea non adeo Iuriſprudentiæ curam habuiſſe arbitrandum. Id quod innuit *Tacit. ann.* 3. *cap.* 25. *Omnes domus delatorum interpretationibus ſubvertebantur, atque ut antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur.* Foviſſe autem videtur hic utriuſque ſectæ quidem aſſeclas: Capitonis enim ſcholam Sabinus ſequebatur, Nerva Labeonis. In utrumvis favoris ejus ex-

ſtant indicia. Sabino enim publice reſpondendi copiam fecit, *Pomp. d. l.* 2. §. 47. Nervam autem habuit familiariſſimum,ut ſuo loco oſtendimus. Quoad diſcipulorum tamen frequentiam longè fœcundior ſchola fuiſſe tum Nervæ videtur quam Sabini. Siquidem præter Nervam filium acceſſit & Proculus, qui celebre admodum nomen ſuum fecit. Cum ex contrariâ ſcholâ ſolus ſtaret Caſſius Longinus. Atque hic quidem & publicis muneribus adhibitus eſt, cum Proculus & Nerva ſolis ſe ſtudiis ac Iuriſprudentiæ excolendæ addixiſſent. Et Caſſium quidem Claudii tempore exulem factum conſtat, cum Proculus ac Nerva ejuſdemque ſcholæ ſectatores poſt tempora Caligulæ,Claudii, ac Neronis ulterius floruiſſe videantur: Quamvis Caligula infenſum ſe ſatis Iuriſconſultis oſtendit, quandoquidem, ut *Sueton. in vit. cap.* 34. refert, *quaſi ſcientiæ eorum omnem aboliturus uſum, jactavit, ſe effecturum, ne quid reſpondere poſſent præter eum*. Inſecutis Tyrannorum temporibus Iuriſprudentiæ ſtudium planè refrixiſſe veriſimile eſt, quippe cum omnia per fas nefaſque ex libidine agerentur, Unde & Imp.

Alexan-

Alexander *in l. ult. C. de inceſt. nupt.* ad hæc tempora ſine dubio reſpiciens, *Leges*, ait, *Tyrannidis tempore latas nullius momenti eſſe.* Galba quamvis & juri attenderit, ut refert *Sueton. in vit. cap. 5.* tamen ludibrio eum habuiſſe jus ex allato *cap. 7. ibid.* exemplo manifeſtum eſt.

Veſpaſiani deinceps tempore refloreſcere cœpit Iuriſprudentiæ ſtudium, quippe *qui ingenia & artes vel maxime fovit*, teſte *Sueton. in vit. cap. 18.* Hoc tempore reſuſcitata factionum nomina, dum alii PEGASIANI, alii à Cælio SABINO, SABINIANI appellati fuerunt. Proculi ſcholam Pegaſus tuebatur, cum Attilicino, Urſejo Feroce, Nervaque filio. Solus Cæl. Sabinus vix uno aut altero præcipuo Jureconſulto ſtipatus, Maſſurii dogmata propagabat. Adeoque hoc tempore Proculejanæ ſcholæ famam potiorem fuiſſe facilè quis colligat. Pariter & Trajani tempore illuſtres admodum fuere ſcholæ Proculejanæ ſectatores Celſi duo, Ariſto, Neratius Priſcus; Atque hoſce poſteriores duos in Conſilio Trajani fuiſſe conſtat. Sabiniani ſectatores celebriores fuere tum, Javolenus ac Minicius Natalis. Quos Adriani tempore ſecutus eſt Ju-

 lianus,

lianus, qui Sabinianæ ſcholæ famam ſi alius quiſquam certe inter omnes illuſtrem reddidit quàm maximè. Quippe quem tanti fecit Trajanus, ut perpetui Edicti condendi curam ipſi injunxerit, adeoque hic unus ex omnibus Jureconſultis, tum temporis eminuit. Hiſce ac præcedentibus ad Veſpaſianum uſque temporibus magnopere vel hoc nomine felix fuit Juriſprudentiæ ſtudium, dum & in libris magno numero conſcribendis certatim operam ſuam collocabant Iureconſulti, & in Legibus ferendis emendandiſque ſolliciti admodum fuere Impp. Trajanus imprimis ac Adrianus, quorum quæ conſtitutiones vel advocantur vel extant in corpore noſtro collectas habes apud *Jac. Labitt. in indice pag.* 138.

Succeſſit deinceps fœtura Iureconſultorum, Antonini Pii, Divorum Fratrum & ſequentium Imperatorum tempore, quos inter æmulationes occultas interceſſiſſe dubium non eſt: Idcircò pro ſe quiſque ſtrenuè hoc in Iuriſprudentiæ ſtadio decurrebant & ingenii ac eruditionis documenta in publicum dabant, ut paullatim maturitatem ſuam conſecuta videri poſſet Iuriſprudentia:

Ex

Ex illis vero erant præcipui, *Mæcianus, Gajus, Pomponius, Cerbidius Scævola, Papinianus, Paullus, Ulpianus, Modeſtinus.* Mæcianum quidem Divorum Fratrum tempore floruiſſe oſtendit ſatis *l.* 17. *ff. de jure Patronat.* De Gaji ætate conſtat *ex l. utrum. ff. de reb. dubiis*, ubi ipſe Adriani tempora, ſuam ætatem vocat. Unde tamen ſimul intelligere liceat, hæc prima ſaltem Gaji tempora fuiſſe, ſiquidem & pertigit poſtea ad Divorum Fratrum imperium, cum Pomponio, qui circa illa tempora eminere cœpit, familiaris fuerit, ut oſtendit *l.* 39. *ff. de ſtip. ſervor.* Cerbidius Scævola ſub Marco & Commodo floruit, quo tempore Papiniani ac Severi Præceptorem fuiſſe teſtatur *Lamprid. in Severo.* Papinianus æque de ſuâ ætate teſtis eſt ipſe *in l.* 8. *pr. ff. de vacat.* ubi ait: *Optimus Maximuſque Princeps noſter Severus Auguſtus decrevit.* Eundem Severum & *in l.* 17. *ff. de quæſtionibus*, Principem Maximum vocat. Sub exordio vero Imperii Caracallæ interfectus vix ann. 37. attigit: Id quod teſtatur etiam vetus inſcriptio hæc:

ÆMIL. PAULO. PAPINIANO.
PRÆF. PRÆT. JUR. CON.
QUI. VIXIT. ANN. XXXVI. M. IV. D. X.
HOSTILIUS. PAPINIANUS.
EUGENIA. GRACILIS.
TURBATO. ORDINE. IN. SENIO.
HEU. PARENTES. INFELICISSIMI.
FILIO. OPTIMO. P. M.
FECERUNT.

Cujus inſcriptionis uti & omnium veterum fidem labefactare temere nimis aggreſſus videtur *Galvan. de uſufruct. cap.* 13. *num.* 11. Demum Paullum & Ulpianum coævos ſub Antonino Caracalla fuiſſe indubium eſt: Quanquam Paullum natu grandiorem fuiſſe adeoque jam Severi tempore florere cœpiſſe oſtendat *Labitt. ex l.* 25. *ff. de appellat.* Ulpianus autem ultra Caracallæ tempora longius vixit, cum & magno penes Imp. Alexandrum in honore fuerit. *Vid. l.* 4. *Cod. de contr. empt. l.* 4. *C. locat.* Per Imperatorem autem ſuum, quem toties allegat Ulpianus, ſine dubio Caracallam intellexit, ut apparebit ex collatione *l.* 1. *& l. ult. ff. de cenſit. & l.* 1. §. 1. *ff. de ſuis & legit. l.* 2. §. *fin. ff. ad SC. Tertull. l.* 3. *ff de donat. inter vir. & uxor.* Hujus diſcipulus Modeſtinus *l.* 52. §. 20. *ff. de furtis*, fere agmen Iureconſul-

ſultorum clauſit, & cœperunt hic obmuteſcere Iureconſultorum oracula, ſtetitque Iuriſprudentiæ Romanæ incrementum. *Vid. Gothofred. man. juris pag.* 26. & paullatim ex Præſidum magis auctoritate, placitoque Impp. corruptorum jus reddi cœpit. Conf. *Merill. obſerv.* 1. *cap.* 5. & 6. *Cujac.* 10. *obſerv.* 4. quos allegat *Magnif. D. Rebhan. in Hodeget. pag.* 9. Primus autem de jure reſpondendi facultatem Iureconſultis ademit Conſtantinus Magnus *in l.* 1. *Cod. de LL.* quam poſtea confirmavit Iuſtiſtianus *l ult. C. eod. Exploſis itaque,* ait, *his ridiculoſis ambiguitatibus tam conditor, quàm interpres Legum ſolus Imp. juſtè exiſtimabitur, nihil hac lege derogante veteris juris conditoribus, quia & hoc eis Majeſtas imperialis permiſerat.* Nimirum veteris, inquit, juris conditoribus, ut qui ſuo tempore erant, illis non amplius eam facultatem relictam indicet. Propterea veteres illi etiam juris conditores vocantur *in l.* 25. *C. de nupt. l.* 1. *C. de comm. ſervo manumiſſ. &c.* & juris auctores *l.* 93. *ff. de act. empt l.* 17. *ff. de jure Patron. l* 23. *C. de Procurat. &c.* id eſt, quorum fide ſententia aliqua de jure conſiſtit, cujus tituli vocisque

viin prolixè enucleat *Excell. D. Strauchius exercit. 2. ad 50. deciſ. Juſt. cap. 1. num. 13. & ſeqq.* Poſteriores vero illi qui à tempore Conſtantini ſolâ docendi Romæ, Conſtantinopoli ac Beryto, (*Vid. D. Struchius in tract. de metrop. Beryto*) provinciâ fungebantur, non ampliùs hoc decorabantur titulo, ſed dicti ſolùm fuere, Legum doctores *l. 6. § 12. ff. de excuſat.* & Juris Civilis Profeſſores ab Ulpiano *in l. 5. §. 5. ff. de extraordin. cognit.* Quamvis valdè dubitandum ſit, num Jureconſulti illi Legum earum auctores his vocibus uſi fuerint, an potius à Triboniano ſint interpolatæ. Siquidem quibus temporibus adhuc reſpondendi publicè libertas eis relicta fuit, Juriſconſulti ac Juriſprudentes dicti fuere; Poſtea vero ab Impp. conſtituti ſunt certi, qui Romæ in Capitolio profitebantur, *Vid. l. unic. Cod. de Stud. liberalib. urb. Rom* ac tum demum Profeſſores fuiſſe dictos credibile eſt: Quod nomen primo Rhetoribus tributum: ſic *Quintilian. lib. 10. cap. 5.* Porcium Latronem Rhetorem *primum clari nominis Profeſſorem* vocat. Et *Sueton. cap. 1. de claris Rhet.: magna Profeſſorum atque Doctorum profluxit copia.* Cum contra

illi,

illi, qui in foro cauſas agebant, novo nomine *togati* fuerunt dicti. *Iuvenal. Sat.* 4.

—— Veniet de plebe togatâ
Qui juris laqueos & legum ænigmata ſolvet.

Indeque *Ammian. Marcellin. lib.* 31. *eos togatos vulturios* dixit. Et *Imp. in conſtit. de nov. Cod. fac.* Dioſcorum ac Præſentinum diſertiſſimos fori Prætoriani togatos, vocat; quemadmodum & ſæpius appellantur *in tit. C. de Advocat. diverſor. judic.*

Atque ita hoc argumento ex inſtituti ratione ſatis pertractato in illâ Demoſthenis voce conquieſcimus γλῶ ὁρῶμεν.

SOLI DEO GLORIA.

Σ. Θ.

DE
ORATIONIBUS
PRINCIPUM.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Σ. Θ.

DE

ORATIONIBUS PRINCIPUM.

Poſtquam Reſpublica Romana ab exiguis primùm initiis profecta eò potentiæ ſuæ terminos protuliſſet, ut ipſâ tandem magnitudine laborare occiperet, non potuit etiam à communi illa rerum humanarum ſorte, quâ * *tam hominum quam urbium fata volvuntur,* eximia eſſe. Non hîc prolixè cauſas inveſtigare lubet, quibus vaſtiſſimo tunc temporis imperio tanta contigerit mutatio, quippe cum hanc operam jam pridem occupaverint illi, quorum inter illuſtres quos hæc ætas fert rerum civilium ſcriptores eminent nomina; ut adeo ſecundum ampliſſimam eorum meſſem, ſpicas colligere vix operæ pretium videatur. Illud

* *Senec. epiſt.* 91.

Illud ſaltem animadvertendum, poſtquam Senatui amplius ſua non conſtabat auctoritas, Populo nimiâ libertate inſoleſcente & majora ſibi paullatim per vim arrogante, nactos eſſe occaſionem, qui paullò elatiori erant animo, diſſolutæ adeo licentiæ clandeſtinis primùm conſiliis inſidiandi, donec tandem diverſis diſtracta ſtudiis ac voluntatibus Civitas, in ſe ſuaque viſcera ferrum cœpit convertere. Tum demum plane ad Tyrannidem via facta, libertas, de qua certabatur, conclamata, victorique in medio præmium conſtitutum ſervituræ civitatis dominatio. Ita nempè evenit, ut fatigata mutuis cædibus reſpublica tandem *aliud diſcordiarum remedium non invenerit, quam ut ab uno regeretur. Tacit. Ann.* 2. 9. 11. Conf. *Flor. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7.

Igitur *cuncta civilibus diſcordiis feſſa nomine PRINCIPIS ſub imperium accepit Auguſtus. Tac. Ann* 1 *cap* 2. Cum enim priſtinæ libertatis memoria civium adhuc exerceret animos, ſatius viſum fuit eos adornatâ in ſpeciem quadam libertatis umbrâ mitigare, dum facilioribus ingeniis imbuerentur, & indignantes mollior conſuetudo permulceret,

ceret. Idcircò & Pompeius ſi Cæſarem obtriviſſet, quamvis ſummum imperium vix depoſiturus crederetur, attamen poteſtatem illam aut Conſulis aut Dictatoris ἢ τινὸς ἄλλης μαλακωτέρας ἀρχῆς παραμυθούμενος τὸν δῆμον retenturus putabatur, referente *Plutarch. in Bruto p.m.* 997. *lit.C.*

Ejuſmodi igitur ſibi titulum arrogabant, qui nec in libera adhuc Republ. infrequens erat. Dicti enim non ſolum *Senatus Principes*, qui rerum geſtarum magnitudine cæteris præferebantur: quo ſenſu *Vellej. lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 3. Q. Catulum *omnium confeſſione Senatus Principem fuiſſe*, dicit: ſed illi quoque, qui primi ſententiam rogabantur, qui honos ipſis Cenſorum arbitrio deferebatur: *Vid. Liv. lib.* 27. *cap.* 13. *A. Gellium lib.* 4. *cap.* 10. *ibidemque animadverſ. Philippi Caroli. Vopiſc. in Aurel.* & *ibid. Caſaubon. Zamoſc. de Senat. Rom. lib.* 1. *Tiraquell. ad Alex. ab Alex. lib.* 4. *c.* 11. Placuit hoc nomine Imperatoribus potentiæ ſuæ lenocinari, atque adeò qui magis populares videri volebant, id præcipuè adfectabant; De Auguſto ſcribit *Dio lib.* 53. *pr.* Πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ

ἐνενό-

ἐνενόμιστο De Tiberio idem auctor eſt *lib.* 57. *p.* 603. & de Pertinace *lib.* 73. *p.* 839. Quò pertinet quod de Caligula in contrarium refert *Sueton. in vit. cap.* 49. *Edixit & reverti ſe, ſed iis tantum, qui optarent, equeſtri ordini, & Populo, nam ſe neque civem neque Principem Senatui amplius fore* Auxit paullatim hæc nominis dignitas dum progreſſu temporis Principes Optimi Maximi dicti fuerunt: Sic *in l.* 20 §. 6. *fin. de hered.petit.* Adrianus Imperat. dicitur *Maximus Princeps.* & alibi ſæpius. ut *l. Iurisperitos, ff. de excuſat. tutt. l.* 8. *ff. de vacat. l.* 39. *ff. de pœnis. l.* 17. *ff. de quæſtionib.* Tandem κατ' ἐξοχὴν PRINCIPES MAGNI vocabantur. *Julian. in Mioſop.* Κέκτημαι ὐδὲν, ϗ ταῦτα βασιλεὺς ἀκέων μέγας. *Apulejus lib.* 10. *Mileſ.p.m.* 279. *Literas ad MAGNUM ſcriptas PRINCIPEM Romam perlaturum. Idem lib. eod.p.* 251. *De literis fauſta vota præfatus PRINCIPI MAGNO, Senatuique & Equitibus, totique Populo Romano.*

Sed neque nomine ſolo populi auræ velificabantur, quin potius ſolliciti non minus erant, ne ſummam poteſtatem palàm ad nutum ac arbitrium ſuum redigendo ad funeſta ſibi patriæque conſilia

ſilia eum compellerent. Idcircò exſtinctæ jam libertatis veluti reliquias conſervando, omnia ita ordinabant, ut Reipubl. facies non tam mutaſſe quam ad priſtinæ formæ ſimilitudinem iterum acceſſiſſe imprudenti populo perſuaderetur. Ejuſmodi σχήματα πολιτικὰ & libertatis ſimulacra prolixè perſequitur *Excellentiſſ. D. Præſes, Mæcenas noſter omni cultu venerandus in Comm. ad Tacit. annal. lib.* 1. *cap.* 2. Præcipua eo ſpectabant, ut adfectatæ Tyrannidis, aut everſæ ſaltem libertatis invidiam amolirentur. Ne igitur ab unius arbitrio Reſpubl. pendere videretur, majoris momenti pleraque civitatis ſtatum ſpectantia cum Senatu communicabant, factâ illi liberrimè ſententias ferendi copiâ, ut ita ſecundum veterem morem SC. conderentur, Principe nihil aliud agente, quam vel ut rem in Senatu referret, vel ſuam pariter cum cæteris ſententiam expromeret. Hanc in rem celebrantur O R A T I O N E S P R I N C I P U M ab ipſis in Senatu habitæ, quæ nunc exercitii hujuſce noſtri argumentum erunt, dum quæ è mediâ antiquitate & hiſtoriâ Romanâ eò pertinere viſa fuerunt, quantũ per ingenii mediocritatem

ac

ac temporis rationem licuit, congerere ac uno velut florum corpuſculo connectere animus eſt. Et cum ab hiſce non adeò abludant antiqua Germanicorum Comitiorum inſtituta, non incongruum arbitratus ſum, de iis etiam paucula quædam adſpergere: Id quod felix fauſtumque eſſe jubeat ſummum Numen.

Quod igitur O R A T I O N E S Principum Romanorum attinet, diverſa earum reperiuntur genera. Siquidem cum Principatum ſuſcipiebant, moris erat, ut Senatum inaugurali velut oratione compellarent, quâ de collato ſibi honore gratias agebant, ſeque Imperium ad Patrum Populique ſententiam adminiſtraturos ſpondebant. Cujuſmodi illa fuit Caligulæ Oratio, quam quotannis legi SC. cautum fuit: *Dio lib 59. p. 641.* De Severo ſcribit *Herodian. lib 2 c. 14.* cum imperium ſuſcepiſſet Curiam intraſſe, ibique Orationes recitaſſe, ἐπιεικεῖς πάνυ καὶ χρηστῶν ἐλπίδων μεστὰς. Ineptiſſimam de ſe ſuiſque laudibus Juliani Orationem *vid. apud Dion. lib 73. p. 843.* Cui non abſimilis multum Commodi illa, apud *Xiphilin in Commod.* nec non ejuſdem notæ credo fuiſſe aliam Vitellii, de quâ *Tacit. hiſt. lib. 2. cap. 90. Magnificam*

ſicam Orationem habuit de ſemetipſo, induſtriam temperantiamque ſuam laudibus attollens. Erant quædam objurgatoriæ, quando Senatum increpabant: Qualis eſt Severi apud *Herodian. lib.* 3. *cap.* 8. *Tacit. ann.* 16. *cap.* 27. Aliæ, quibus ſe excuſabant Senatui de facinore perpetrato, ut Antonini apud eund. *Herodot. lib.* 4. *cap.* 5. Laudati aliquando oratione Principis, qui ſe ipſos Senatu propter rem domi anguſtam moverant: *Tacit. annal.* 12. *cap.* 52. De faſtigio & eminentiâ Imperii Romani Orationem aliquando Claudium habuiſſe ſcribit *Tacit. annal.* 12. *cap.* 11. Et ſunt earum exempla præterea non minori numero obvia etiam in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, quæ huc cumulare, ſi diſquiſitionis modus pateretur, in proclivi foret. Cæterum quæ præcipui ponderis Orationes erat, Rempublicam, ac civitatis ſtatum ſpectabant potiſſimum, nihilque aliud continebant, quam varia rationum momenta, quibus Princeps Senatum ad hoc vel illud publici boni cauſâ inſtituendum vel abolendum, perſuadere nitebatur, ut ita ſecuto Patrum conſenſu Principis voluntas Senatuſconſulto confirmaretur, Egregiè hanc in rem ſcribit

bit *Scipio Gentil. in orat. 3. de L. Reg. p. m. 52. Hoc ego primum juris condendi ſimulacrum ac genus uſurpaſſe Impp. video, quod valde mihi populare videtur, & ex veteris Reip. imagine relatum: quaſi enim rogatio quædam erat hoc Orationum inſtitutum.*

Hæc autem conſuetudo in univerſum inde principiò manaſſe videtur, cum primis Monarchiæ initiis inter cætera libertatis ſimulacra Principes etiam antiquarum dignitatum ac officiorum honorem tueri inter præcipua haberent, ipſimet quoque ea in ſe recipiebant, Conſules ſe renunciari patiebantur, & Tribunitiâ poteſtate præditos, ut hâc ratione citra invidiam aut affectati dominatus ſuſpicionem, ea tamen ſuſcipere poſſent, quæ firmandæ paullatim, quam moliebantur, potentiæ conducere videbantur. Detegit nobis arcanum hoc *Dio lib. 53. p. 507. Ne videantur,* inquit, *Impp. ex potentiâ potius, quam Legibus habere omnia, quæ in populari Reipubl. formâ multum valuerant, Senatu populoque volentibus, ea cum ipſis nominibus in ſe recipiunt: Conſules enim fiunt ſæpenumero, &c. ac ita hoc nomine omnia quæ Conſulibus aliiſque cum pleno imperio Magi-*

ſtratibus

ſtratibus facere licet, agendi jus habent. Paucis interjectis: *At tribunitia poteſtas quam clariſſimus quiſque Imp. olim habuit, effecit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipſorum ſententiam moventur, poſſint, ac ſacroſancti ſint.* De hoc Tribunitiæ poteſtatis jure ita *Tacit. ann.* 3. *cap.* 56. *n.* 1. *Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera imperia præmineret.*

Atque ex hoc jure fluxit, ut Senatum, quo tempore vellent, convocare poſſent. Hoc enim in liberâ Republicâ præter alios Magiſtratus etiam Tribuno plebis conceſſum fuiſſe, conſtat ex *Valer. Max lib.* 2. *cap.* 1 *A. Gell. N. A. lib.* 14. *cap.* 7. Cum verò Tribunatus hic perpetuus ipſis eſſet, ut perpetuo quoque hoc jure gauderent, tam ſub illius dignitatis auctoritate quam alterius, quæ certo tempore terminabatur, Senatum convocare maluiſſe fit veriſimile. Ita enim de Tiberio *Suet. in vit* 22. *Jure autem Tribunitiæ poteſtatis coacto Senatu inchoataq; allocutione repentè velut impar dolori congemuit.* Deque eodem etiam *Tacit. ann.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. *Ne edictum quidem quo Patres in Curiam vocabat, niſi*

Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit, ſub Auguſto acceptæ.

Jure autem Conſulatus, quo tempore hoc munere fungebantur, in Senatu referre poterant; quæ tamen facultas poſtea quoque ipſis propria ac perpetua facta fuit, ut jus referendi in Senatu integrum ipſis eſſet, quamvis non Conſulibus. Idque jam tum Auguſto tributum fuiſſe teſtatur *Dio lib.* 54. *p.* 518. *Eapropter Senatus Auguſto hos decrevit honores, ut Tribun. pl. perpetuus eſſet, & quoties Senatus haberetur, etiamſi Conſulatum non gereret, de una re, quâ vellet, referre poſſet.* Quem locum malè intellexiſſe, qui ita verterunt, *de quibuſcunque rebus vellet*, notat *Caſaub. in Suet. Cæſ. cap.* 20.

Apparet autem hanc primam ferme conſuetudinis hujus fuiſſe originem; Siquidem quoties in Senatu referebant, non his ſolum verbis id factum, ut in libera Rep. conſuetum erat: *Referimus ad vos P. C. ſuper eâ re quid fieri placet; Briſſon. form. Rom. lib.* 2. *p.* 164. Sed ipſi rationes ſimul expromebant, quibus Senatum permoveri poſſe rebantur. Colligere id licet ex *Dione lib.* 57. *p.* 603. ubi de Tiberio, *Suo*, inquit, *arbitrio perpauca agebat, de rebus etiam minutiſſimis*

mis ad Senatum referebat, poſito in foro tribunali, in quo ſedens jus diceret. paucis interpoſitis: *Propoſitâ ſuâ in medium ſententiâ omnibus contradicere liberum relinquebat.* Facit & in rem hanc *Tacit. lib.* 4. *annal. cap.* 36. *n.* 8. *Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo, ſimul rogandâ novâ lege diſſeruit Cæſar.* Ipſam deinde Orationem ſubjungit, eâdem de Lege habitam. Similis locus eſt & *annal. lib.* 22. *n.* 4. *Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio aruſpicum, ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret, &c.* ubi ipſa porrò habitæ orationis verba ſubjungit auctor. Imp. *Julianus de ſe ipſo ep.* 29. Διελέχθην μὲν ὀλίγα τῇ βουλῇ περὶ θεοσεβείας, ἀλλὰ τοῖς λόγοις ἐπῄνουν μὲν ἅπαντες, ἐπείσθησαν δὲ αὐτοῖς ὀλίγοι πάνυ i. e. *Cum Senatu pauca de religione diſſerui, & laudarunt quidem omnes orationem meam, pauci verò conſenſere.*

Cæterum in liberâ Republica *auctores ſententiæ* dicebantur illi, qui de re aliqua conſilium ſuum rationum argumentis ſubnixum in medium adferebant, atque ita Senatum in ſuas partes inclinabant; Quemadmodum *Cicero in Piſon. cap.* 15. *De me Senatus ita decre-*

F *vit*

vit auctore & ejus ſententiæ Principe Pompejo. Idem pro Balbo cap. 16. *Harum ego ſententiarum Princeps & auctor fui.* Pari ratione tum quoque Senatus, cum decreta ſua populo proponebat, *auctor fieri* dicebatur, & decreta *auctoritates.* Prolixe eam antiquitatem annotavit *Dio Caſſ. lib.* 55. *pag.* 549. *D.* ubi inter alia hæc: *Dicta etiam fuit auctoritas cum Trib. pl. interceſſiſſent, nam hic quoque cum SC. fieri nequiret, tamen ſententiam ſuam Senatus nolebat occultam eſſe, quæ dein more Romano rata fieret ac SC. nomen acciperet, idque ab antiquis multo tempore obſervatum, noſtra ferè ætate exolevit.* Pertinet huc locus *Cic. ad fam lib.* 1. *epiſt.* 7. *Quoniam SC. nullum extat, quo reductio Regis Alexandrini tibi adempta ſit, eaque quæ de ea ſcripta eſt Auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut ne quis omninò Regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum quàm conſtantis Senatus conſilium fuiſſe videatur.* Nimirum ita ſolent Romani ſcriptores, cum accuratè loquuntur, Senatus auctoritatem à SC. diſcernere, quam diverſitatem negligentius prætervectus *Briſſonius*, quo nomine vapulat *Jano Langlæo, Semeſtr. lib.* 7. *cap.* 12. Alia erat, quæ di-

cebatur Senatus auctoritas, quando populi placita, ut auctoritatem obtineren, confirmanda eſſent ejus ordinis auctoritate, qui & nobilitate & prudentia in Repub. emineret, conſiliique publici dominus eſſet conſtitutus. Perelegantia eam in rem ſunt loca bina *Saluſtii Orat.* 2. *de rep. ordin.* & *Ciceron. lib.* 3. *de LL.* 12. quæ obſervavit *Excellentiſ. D. Præſes comm. in Tac. ann.* 1. *in not. polit. add. Guilhelm. Bellendm. de ſtatu lib.* 3. *qui inſcribitur Ciceronis Conſul, Senator, Senatuſque Romanus cap.* 23. Græci utramque ſignificationem pariter eodem vocabulo exprimunt: Auctoritatem enim hanc vocant illi προβούλευμα. Quod priorem ſignificationem attinet, plana ea eſt ex *Suida*: προβούλευμα, inquit, τὸ ὑπὸ τῆς βουλῆς ψηφισθὲν πρὶν εἰς τὸν δῆμον εἰσενεχθῆναι. De altera conſtat ex *Plutarch. in Coriolan. pag.* 227. *lit. D.* ὁ δῆμος ἄκυρος ἦν τῆς ψήφου καὶ νόμον τι ποιεῖν ἄνευ προβουλεύματος.

Cœpit hoc poſtea Impp. tribui, ut quoties de re quâpiam Orationes in Senatu haberent, *auctores fieri* dicerentur. *Tacit. ann.* 3. *cap.* 13. *Conſidius Æquus, & Cælius Curſor, Equites Romani, quod fictis Majeſtatis criminibus Ma-*

gium Prætorem petiviſſent, auctore Principe, ac decreto Senatus puniti. add. annal. 15. *cap.* 22. *lib.* 3. *Hiſt. cap.* 8. *lib.* 4. *cap.* 13. *Sueton. Otton. cap.* 8. *in Veſpaſ. cap.* 11. ſic & *Ulpianus in fragment. tit.* 25. §. 28. *Civitatibus omnibus, quæ ſub Imperio P. R. ſunt, legari poteſt, idque à D. Nerva introductum, poſtea à Senatu auctore Adriano diligentius conſtitutum eſt. Id. in l.* 32. *ff de donat. inter vir. & ux.* Imperator *noſter Antoninus Auguſtus, ante exceſſum D. Severi patris ſui, Oratione in Senatu habitâ auctor fuit Senatui cenſendi, ut aliquid laxaret ex juris rigore. SC. auctore Trajano* facti meminit *l.* 5. *Cod. de magiſtratib. conven.* Et aliud *auctore Adriano* factum memoratur *in l.* 1. *C. de petit. hered* ſic *in l.* 5. *Cod. de excuſat. tutt. Ampliſſimus ordo auctore Marco cenſuit.* Adde *Plin. lib.* 2. *ep.* 7. *Heri à Senatu Veſtricio Spurinnæ Principe auctore triumphalis ſtatua decreta.* Erat enim olim hoc jus ſtatuas decernendi unum ex iis quæ Majeſtatis vocamus & in liberâ Republ. non niſi SC. vel plebiſcito fieri poterat, ut conſtat ex *Plin. Nat. Hiſt. lib* 34. *cap.* 5. *&* 6. Poſtea id auctoritate Principum fieri cœpit. *Vid. Sueton. in Calig. c.* 34. *Tacit. annal.* 3. *cap.* 10.

Atque ita ut diximus, quando quidem SC. aut conſtitutionis alicujus auctor eſſe volebat Princeps, eam in rem Orationem coram Senatu habere ſolebat. Conſignavit nobis ejuſmodi quaſdam *Tacit. annal.* 3. *cap.* 12. *&* 47. *lib.* 4. *c.* 37. 38 Orationis Severi de rebus eorum qui ſub tutelâ ſunt non alienandis mentio eſt *in l.* 1. *ff. de reb. eor. & l.* 7. *C. de præd. minor.* Hanc ſingulari libro expoſuit Paulus, ut ex Florentino Indice & aliquot LL. inſcriptionibus conſtat. Orationis Severi & Commodi meminit inſcriptio *l.* 20 *de R. V.* cujus emendationem pete *ex Ampliſſ. D. Strauch. Patrono ac Præceptore quondam noſtro omni cultu devenerando diſp. de ſtatut. à ſumm. Principe, num.* 12. Nobilis eſt & D. Pii Oratio de Profeſſoribus *in l.* 4. *C. de Profeſſorib. & Medic.* Oratio Antonini fuit, ne quis meſſium vindemiarumque tempore cogat ad judicium adverſarium venire. *l.* 1. *ff. de feriis.* Alia ejuſdem memoratur ab *Ulpian. fragm. tit.* 27. *num.* 6. Oratione *Pertinacis cautum eſt, ne tabulæ* priores *jure factæ irritæ fiant, niſi ſequentes jure ordinatæ perfectæque fuerint. §.* 7. *Inſt.* 96. *mod. teſtam. infirm.* De quâ Oratione

ſcribit *Capitolin. in Pertinac. Legem tulit ut teſtamenta priora non prius eſſent irrita quam alia perfecta eſſent, neve ob hoc fiſcus ſuccederet, addiditque SC. hæc verba; ſatius eſt P.C. inopem Remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per diſcrimina & dedecoris veſtigia pervenire.* Imprimis multæ exſtant D. Marci Orationes, qui legum curam multò maximam habuiſſe videtur: vide earum veſtigia *in l. 60. ff. de ritu nupt. l. 16. eod. l. 16. ff. de ſponſalib. l. pen. ad SC. Tertull. l. 8. de tranſact. l. 7. de feriis. l 1. §. 1. ne de ſtatu defunctor. Capitolin. in Marco.*

Obſervandum porrò, quod iccircò Principes Romani inter prima ſtudia ſua, Eloquentiam cenſuerint, eamque ut non in leve gloriæ decoriſque ſui argumentum valituram maximi ſemper fecerint. Hinc eleganter *Symmach. lib. 10. epiſt. 21. Nos humi reptamus ſocco magis idonei quàm cothurno, poſtquam facundia res eſſe cœpit Imperii, Muſis in Palatio loca lautiora data.* Inde fit ut plerumque etiam inter laudes Imperatorum à ſcriptoribus ponatur Eloquentia: *Sueton. de Auguſto in vit cap. 84. Neque in Senatu neque apud milites nec apud populum locutus eſt unquam niſi meditata & compoſita*

poſita Oratione , quamvis non ad ſubita deficeret extemporali facultate. Tiberium idcirco Corvino Meſſalæ operam dediſſe ait *id. in Tib. cap.* 68. Et de Cajo Calig. *in vit. cap.* 53. *Diſciplinis liberalibus minimum, eruditioni ut & eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promptus.* De Claudio *id. in vit. c.*40. *Principe nec infacundo nec indocto.* Domitianum vocat, *Principem ut in omnibus , ita & in Eloquentiâ eminentiſſimum* *Quintilian. Inſt. Orat. lib.* 4. *in proœm.* *Symmach. lib.* 1. *epiſt.* 89. *ad Antoninum: Non incognito nobis eloquii ſplendore nituiſti , ſed magnis rebus accommodatâ & majeſtate ſcripti aptatâ , gloriam quam ante quæſiviſti , recens auxit Oratio. Nam præter loquendi phaleras , quibus Te natura ditavit , ſimile quiddam planeque conveniens auribus Patrum , gravitate ſenſuum, verborum proprietate ſonuiſti. Auſonius in grat. act. ad Gratianum : Aliqua de Oratoris virtutibus tuis dicerem , niſi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus , nec majoris Gracchi commendabilior fuit modeſtia, nec Patris gravior auctoritas, &c.* ubi prolixe Gratiani extollit eloquentiam. De Numeriano quoque ſcribit *Vopiſc. in vit. Hu-*

jus Oratio fertur ad Senatum miſſa tantum habuiſſe eloquentiæ, ut illi ſtatua non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliothecâ Ulpiâ, cui ſubſcriptum eſt, Numeriano Cæſari Oratori temporibus ſuis potentiſſimo. Incerti panegyr. ad Conſtant. Auguſt. Dicerem plura de Divinis Orationibus tuis, ac oblata potius quàm impetrata benignitate, niſi mallem dicta reticere dum facta propero laudare: Quamlibet verba tua in Senatu habita nobis nota ſint, tamen qualia fuerint, clementiæ Tuæ gloria nunciavit Pateretur hic locus ut in illud dicendi genus, quod ejuſmodi faſtigio conveniens, ὡς ἐν παρόδῳ digrederemur; *Eſt enim*, ut ait *Quintilian. Inſt. Orat. lib.* 11. *cap.* 1. *in Eloquentiâ quod Principem decet, quod aliis non conceſſeris* Sed huic operæ ſuperſedere ſatius exiſtimo, dum quæ eâ de re adferri poſſint, exquiſitiſſimo ſanè judicio ſuo pridem examinavit *Excellentiſſimus Dominus Præſes, in tractat. de Eloquentiâ Princip. Romanor. add comm. ad Tacit. ann.* 1. *cap.* 7. *n.* 5. Non audiendus *P. Diaconus*, qui *lib.* 2. ſolum poſt Julium Cæſarem in Senatu Orationes recitaſſe ſcribit Julianum: Primus enim ex Impp. Nero aliorum ope-

operâ in conſcribendis Orationibus uſus, id quod vitio ipſi datum fuit. Notat *Tacit. annal.* 13. *cap.* 3. *Annotabant ſeniores primum ex iis qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nam Dictator* Cæſar, *ſummis Oratoribus æmulus, Auguſto prompta ac profluens, quæ Principem decet, Eloquentia fuit: Tiberius artem quoque callebat, quâ verba expenderet, tum validus ſenſibus aut conſulto ambiguus: Etiam C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, Eloquentiam requireres.* Hoc autem operæ Nero Senecæ ut plurimum injunxit: *Tacit. annal. cap.* 11. *Nero clementiam ſuam Senatui crebris Orationibus obſtringens, quas Seneca teſtificando, quam honeſta præciperet, vel jactandi ingenii voce Principis vulgabat.* Ita & Orationem illam quâ ſe excuſavit Senatui de cæde in matrem patratâ à Seneca confectam colligas ex *eod. annal.* 14. *cap.* 11. Et meminit quoque Orationis illius *Quintilian. Inſt. O. lib.* 8. *cap.* 5. *Qualis eſt Senecæ in eo ſcripto quod Nero ad Senatum miſit occiſâ matre, cum ſe periclitatum videri vellet, ſalvum me eſſe adhuc nec credo nec gaudeo.* De Trajano ſcribit *Ju-*

F 5 *lian.*

liaritas crevit, cauſa præcipuè Orationum, quas pro Imperatore dictaverat.

Uti verò nonnunquam ipſi Principes coram Senatu orationes ſuas recitare amabant; Ita ſæpius evenit etiam, ut per abſentiam, aut alio impedimento diſtracti, hoc officium alteri injungerent. De Auguſto *Sueton. in vit. c.* 84. *Neque in Senatu, neque ad milites, neque ad populum locutus eſt unquam, niſi meditatâ & compoſitâ Oratione: Ac ne periculum memoriæ adiret, aut diſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia.* De Tiberio teſtis *idem in vit. cap.* 23. & de Claudio ſimiliter *in vit. cap.* 23. & 42. Ipſis verò Principibus impeditis, Quæſtori incumbebat, eas coram Senatu recitare. De Auguſto ſcribit *Dio lib.* 54. Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον αὐτὸς οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ τοῦ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ ταμίᾳ ἀναγνῶναι, τὰ πεπραγμένα οἱ καθαριθμήσαντος, i.e. *Convocato Senatu ipſe gravedine laborans, nihil locutus, Quæſtori libellum dedit recitandum: Eo recenſebantur res ab ipſo geſtæ.* Indicat hoc Quæſtoris munus etiam *Sueton. in Tit. cap.* 6. *Filius ejus recepta ad ſe omnium officiorum curâ, cum Patris nomine epiſtolas ipſe dictaret, & Edicta conſcriberet,*

Orationeſque ſæpiſſimè etiam in Senatu Quæſtoris vice recitaret. Suidas in Κλαύδιος. οὐ πάντα ὅσα εἰς τὸ συνέφερεν αὐτὸς ἀνεγίνωσκεν, ἀλλὰ τῷ ταμείᾳ ὥστε πλῆθος ἀναλέγεσθαι ἐδίδου. ὅσα δ' αὐτὸς ἀνεγίνωσκε καθήμενος ὡς τὸ πολὺ ἐπελέγετο. i.e. *Non omnia, quæ in Senatu referebat, ipſe legit, ſed legenda ut plurimum tradebat Quæſtori, quæ verò ipſe legebat, plerumque ſedens recitare ſolitus. Symmach. lib.* 10. *epiſt.* 2. de ſeipſo ad Gratianum: *Scio amore factum, quo Summates Viros plerumque dignamini, ut ſacræ Orationi veſtræ Lector adhiberer: Sed cum intelligo ſermonem illum præminere omnimnodo ſcriptis aliis, quæcunque ad hoc locorum Senatus audivit, me quoque arbitror pluris habitum quàm cæteros.* Pertinet huc locus *Sidon. Apollin. in Paneg. major. verſ.* 62.

—— Cujus dignatur ab ore
Cæſar in orbe loqui, licet & Quæſtore
diſerto
Polleat. ——

Paullatim verò non legendis ſolum, ſed & conficiendis Orationibus adhibitos fuiſſe Quæſtores arbitror: Siquidem in illis præcipuè Eloquentia commendabatur. Eleganter *Caſſiodor. lib.* 5. *variar.* 4. *Ingenio Principis ſervit, quod univerſa*

univerſa ſuperat, illius ore loqui cogitur, cui nullus invenietur ſimilis. Et *lib.* 6. *epiſt* 5. *O quam arduum eſt ſubjectum, verba dominantis aſſumere, loqui poſſe, quod noſtrum credatur? Si quid dubitamus, à Quæſtore requirimus; qui eſt theſaurus famæ publicæ, armarium legum, paratus ſemper ad ſubita; & ut ait* Tullius, *Magiſter eloquentiæ. Nam ſi Oratoris proprium eſt graviter & ornatè dicere, ut poſſit animos judicum commovere, quanto facundior debet eſſe, qui ore Principis populos noſcitur admonere? Talem denique oportet eſſe Quæſtorem, qualem portare Principis decet imaginem: Nam ſi nos, ut adſolet, cauſam audire contingat, quæ auctoritas erit linguæ, quæ ſub oculis regalem genium implere doſſit?*

Cæterum qui ad hanc admoti erant dignitatem, Candidati Cæſaris ſeu Principis dicebantur: Sic *Vellej. lib.* 2. *cap.* 23. *Quo tempore*, inquit, *mihi fratrique meo Canditatis Cæſaris proximè a nobiliſſimis ac Sacerdotibus viris deſtinari Prætoribus contigit. Lamprid. in Alex. Quæſtores Candidatos ex ſuâ pecunia juſſit munera populo dare.* Conſule de eorum munere *Guther. de offic. dom.*

videretur, *SC. quoque cautum*, *plenius quàm antea & uberius*. Iccircò & alia Principum Edicta nonnunquam SC. confirmabantur, ut illud Auguſti, ne fœminæ pro viris intercederent *l. 2. ff. ad SC. Vellejan.*

Non ante igitur vim Legum obtinebant Orationes Principum, quàm SC. confirmatæ eſſent. Exemplorum hanc in rem affatim nobis ſuppeditat hiſtoria Romana: Innuit *Tacit. ann. 1. c. 6. Multa ſine dubio ſævaque Auguſtus de moribus Agrippæ conqueſtus*, *ut exilium ejus SC. confirmaretur*, *ſanxit.* De Claudio *id. lib. 11. c 18. Retulit deinde ad Senatum ſuper Collegio Aruſpicum*, *ne vetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret: & factum ex eo SC.*, *viderent Pontifices*, *quæ retinenda firmandaque aruſpicum.* Sed illuſtre eſt hujus antiquitatis exemplum *apud eund. lib. 11. annal. c. 22. Cum de Galliæ comatæ primoribus*, *num in urbe ad honores admittendi eſſent*, *multus eſſet variuſque rumor*, *& ſtudiis diverſis apud Principem certaretur*, *aſſeverantium*, *non adeò ægram Italiam*, *ut ſuppeditare urbi ſuæ nequiret*, *ſuffeciſſe olim indigenas conſanguineis populis &c. His atque talibus haud*

haud permotus Princeps , *etiam ſtatim contra diſſeruit*, & *vocato Senatu ita exorſus eſt: Majores mei*, &*c. Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto primi Ædui in urbe Senatorum jus adepti ſunt. add. Suet. Tib. c.* 48. Atque inde ſolent Juris Civilis interpretes diſſidium hoc componere , quando quod hoc loco SC. tribuitur , alibi Orationibus Principum adſcribitur. Vid. ejuſmodi exempla apud *Briſſon. lib.* 1. *ſelect. antiqu. c.* 16. *Gothofred. in l.* 7. *C. de præd. minor.*

Præterea , quoniam ſæpius Româ abeſſent Principes , ut ipſi quæ ex re publicâ credebant præſentes Senatui exponere non poſſent , per literas eum de ſuâ ſententiâ reddebant certiorem : Quod genus literarum nonnunquam epiſtolæ, nonnunquam orationum nomine venit *Juven Sat.* 10. *verſ-* 71.

—— *Verboſa* & *grandis epiſtola venit*
A Capreis. ——

Indicat epiſtolam Tiberii , qua ſe excuſat Senatui ob repudiatos honores, quos ipſi detuliſſent. Eandem & *Xiphilin. in Tib.* vocat Epiſtolam. *Sueton.* autem *in Tib c.* 66. Orationem. Sic eſt apud *Tacit. annal.* 16. *c.* 7. Oratio miſſa ad Senatum , & *ap. eund. annal.* 3.

cap.

cap. 53. Tiberius de lege quâdam Senatum per epiſtolam conſulit. Sic & in *l.* 2 *C. Theod. de Curator. Calendar.* eſt, Oratio miſſa ad Senatum. Antonini talis exſtat Oratio apud *Vulcat. Gallican. in Avid. Caſſ.* Hæ verò Epiſtolæ hoc nomine quoque naturam ac ſimilitudinem Orationum referebant, quod pariter SC. confirmandæ eſſent. *Vopiſcus in Aurelian. Sabinus Prætor urbanus dixit* : *Referimus ad Vos P. C. ſuggeſtionem & Aurelii Principis literas, quibus jubetur, &c. Interrogati plerique Senatores, ſententias dixerunt, quas longum eſt innectere* : *Deinde aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, aliis verbo conſentientibus, factum eſt SC.* Geminum huic alterum eſt exemplum apud *eund. in Probo.* vid. verba in contextu : *Ælius Scorpianus Cos. dixit* : *Audiſtis literas P. C. Aurelii Probi, de his quid videtur? Tunc acclamatum eſt, Probe Auguſte, Dii Te ſervent, &c. Poſthæc Manlius Mucianus, qui primæ tunc erat ſententiæ Senator, ita locutus, &c. Poſthæc acclamatum eſt, Omnes, Omnes.* Addo tertium ex *Capitolin. in vit. Maximin. SC. hoc fuit exemplum* ; *Cum ventum eſſet in ædem Caſtorum,*

adhuc in æde Lateranenſi conſpicuum, exhibent *Lipſius in lib.* 11. *ann Tacit. p.* 279. *Guther. de offic. dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 30. Conſuetudinis hujus originem à liberæ Reipubl. tempore arceſſendam eſſe facilè patet, quippe cum quævis SC. & quæ promulgabantur Leges publicè æreis tabulis inciſæ proponerentur: Unde *Cicero Philipp.* 1. *cap.* 26. *Quid tum? quod tum ita geſtum erit, id Lex erit, & in æs incidi jubebitis? & in Catilin.* 3. *cap.* 19. inter prodigia recenſet, quod *Legum æra liquefacta eſſent.* Unde poſtea honori Principis hoc datum etiam ut Conſtitutiones ejus æri inciderentur. *Plin. lib.* 34. *N. H. cap.* 9. *Uſus æris ad perpetuitatem monumentorum jampridem tranſlatus eſt, tabulis æneis in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur. Senec. lib.* 3. *de benef. cap.* 4. *Magis autem illa conſtitutio rata erit, quam ſi in æs incidiſſem.* Præmittebantur autem Orationes Principum ac poſtea SC. de hiſce facta ſubjungebantur, quod non obſcurè colligitur ex *Plin. lib.* 8. *epiſt.* 6. *Ea*, inquit, *quæ quarto Kalend. Febr. quæ proximæ fuiſſent, in ampliſſimo ordine Optimus Princeps recitaſſet, Senatuſque Conſulta de his rebus*

facta

facta in æs inciderentur, idque æs figeretur ad ſtatuam loricatam D. Julii. Parum viſum tantorum dedecorum curiam eſſe teſtem: delectus eſt celeberrimus locus, in quo legenda præſentibus, legenda futuris proderentur. Placuit ære ſignari omnes honores faſtidioſiſſimi mancipii, quoſque repudiaſſet, quoſque quantum ad decernentes pertinet geſſiſſet. Inciſa & inſculpta ſunt publicis monumentis prætoria: ſic quaſi fœdera antiqua, ſic quaſi ſacræ leges.

Atque ita hactenus expediviſſe nos reor ea, quæ ad hiſtoriam veterem de Orationibus Principum illuſtrandam pertinere viſa ſunt: Reliquum eſt ut ad cenſuram Politicam vocemus, & illam ſpecioſis admodum coloribus adumbratam libertatis imaginem, quibus imprudenti populo fucum facere amabant Principes, paullò altius contemplemur. Enimvero, quod jam in limine diſſertationis attigimus, inter præcipua hoc Auguſtæ domus arcana fuit, everſâ exſtinctâque libertate, inania libertatis ſimulacra oſtentare: Unde *Dio lib. 45. pag. 277. Imago quædam libertatis proponebatur dum omnia ex potentia agebantur. Et Tacit. in fin. lib. 1. annal. Specioſa verbis, re inania ac ſubdola,*

dola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tantò impenſius ad ſervitium eruptura. Inter ea vero ſimulacra non ultimum erat, quod Senatus munia ac auctoritatem, multis quantumvis partibus defloratam ipſi Principes fovere ac conſervare videri ſaltem volebant, eo conſilio ne priſtina Reipubl. ſpecies uno velut ictu inciſa diceretur, id quod grave nimis futurum eſſet populo, nondum exoleta in animis dulci libertatis memoria. Quem Conſilii finem innuit *Mæcenas ap. Dion. lib.* 52. *pag.* 546. ubi de ejuſmodi ſimulacris ſermonem habet, eaque duplici ratione Auguſto commendat: τὸ μὲν τῆς πατρίων μνήμης ἕνεκα, καὶ τοῦ μὴ παντελῶς τὴν πολιτείαν μεταλλάττειν δοκεῖν: *partim ad conſervandam inſtitutorum patriorum memoriam, partim ne penitus reſpubl. & ſtatus omnis immutari videretur.* Nimirum idcircò non temere nec non communicato ante cum Senatu conſilio ad Legum curam aut arduas res ſuſcipiendas prolabebantur, ſed ea prius in medium adferebant, factâ ſingulis ſententiæ dicendæ copiâ: Cujus conſilii quoq; auctorem Auguſto fuiſſe Mæcenatem argumento eſt ipſius Oratio apud *Dion. lib.* 52. ubi hoc

quo-

poſt: *nec defuit fides, multaque arbitrio Senatus conſtituta ſunt.* Quam plena callidæ adulationis vox illa Othonis apud eund. *Hiſt. lib.* 1. *cap* 84 *Æternitas rerum & pax gentium & mea tum veſtra ſalus incolumitate Senatus firmatur: Hunc auſpicato à Parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum & à Regibus uſque ad Principes continuum & immortalem ſicut à majoribus accepimus, ſic poſteris tradamus.* Cæterum ecquis diffiteatur haſce & adfines orationes alias *plus dignitatis quam fidei habuiſſe*, ut notat *Tacit. annal. lib.* 1. *cap.* 11. æque ac illa adſcititia Principum modeſtia, & oſtentatum libertatis ſtudium: Neque enim aliter cum Senatu egiſſe videntur quam cum populo: Siquidem nec huic libertatis ſuæ anteſignani adempti erant, ſed manſit Tribunor. pleb. nomen ad Conſtantini uſque tempora, ut obſervat *Onuphrius in comm. faſt. lib.* 1. *ad ann.* 261. dabaturque iis etiam intercedendi facultas. Oſtendit *Tacit. lib.* 1. *annal. cap.* 77. *Actum*, inquit, *de ea ſeditione apud Patres, dicebanturque ſententiæ, ut Prætoribus jus virgarum in hiſtrionibus eſſet: Interceſſit Haterius Agrippa Trib. pl. increpituſque eſt*

eſt Aſinii Galli oratione, ſilente Tiberio, qui ea libertatis ſimulacra Senatui præbebat. Illuſtrior locus eſt apud *Dion. lib.* 57. *p. m.* 646. ubi pœnas in Aſtrologos exercitas refert: *Niſi*, ait, *Trib. pl. interceſſiſſet, etiam contrà quàm cenſuerat Tiberius, omnes cives impunitatem fuiſſe habituros*; &c. Et quamvis *Tacit. hiſt. lib.* 1. *cap.* 55. *Senatus populique obliterata jam nomina* dicat, nihilominus tamen de Macrino refert *Herodian. lib.* 5. *cap.* 1. ἐποίησε δὲ καὶ δημόσια γράμματα πρός τε τὸν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν σύγκλητον.

Cæterum ut ad Orationes Principum revertamur, hiſce pariter nec fides nec ſinceritas inerat, dum Principes gnari erant quantum nutui ipſorum intentus eſſet Senatus, ut tantum abeſſet, ut ipſorum Orationibus obloquerentur, ut potius neſcio quibus non verborum lenociniis ac divinis laudibus eas in cœlum extollerent: Hinc Piſonis illa vox emortuæ libertatis luculentiſſimum argumentum præferens: *Quo loco cenſebis Cæſar? ſi primus habebo quod ſequar, ſi poſt omnes vereor ne imprudens diſſentiam? Tacit. annal.* 1. *cap.* 34. Adumbrat adulationem eam *Idem lib.* 3.

lib. 3. *annal. cap.* 31. *Cæterum*, inquit, *tempora illa adeò infecta fuere ut non modo primores civitatis quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes Conſulares, & magna pars eorum qui Prætura functi, multique etiam pedanei Senatores certatim exſurgererent, fœdaque & nimia cenſerent: memoriæ proditur, Tiberium quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, ô homines ad ſervitium paratos! ſcilicet illum quoque qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat.* Nec aliter deſcribit temporum illorum miſeriam *Plin. lib.* 8. *epiſt.* 14 *Iidem proſpeximus Curiam trepidam & elinguem, cum dicere quod velles periculoſum, quod nolles etiam miſerum eſſet; Quid tunc diſci potuit? Quid didiciſſe juvit, cum Senatus aut ad otium ſummum, aut ad ſummum nefas vocaretur: & modo ludibrio modo dolori retentus, nunquam ſeria, triſtia ſæpe cenſeret?* Quo pertinet ejuſdem querela in *paneg. cap.* 72. *Quis ante loqui, quis hiſcere audebat? Præter miſeros illos qui primi interrogabantur, cæteri quidem defixi & attoniti ipſam illam mutam & ſedentaram aſſentiendi neceſſitatem quo cum do-*

re animi, quocum totius corporis horrore perpetiebantur, unus ſoluſque cenſebat, quod ſequerentur omnes, & omnes improbarent.

Unde facile conſtat, qualis fuerit Senatus auctoritas, quantum de Legum poteſtate, de Reipubl. curâ participaverint: Nimirum omne id in manu Principum poſitum erat, qui quoties tenaciores ſuæ potentiæ eſſent, parum indulſere Senatui, aliis paullò modeſtioribus hanc libertatis umbram Senatui facilè largientibus. Ab eâ modeſtiâ præcipuè ſuum commendat Principem, *Plin. in paneg. Illuxerat*, inquit, *primus conſulatus Tui dies, quo tu curiam ingreſſus, nunc omnes, nunc ſingulos adhortatus es reſumere libertatem, capeſſere quaſi communis Imperii curas, invigilare publicis utilitatibus & inſurgere. Omnes ante Te eadem iſta dixerunt, nemini tamen ante te creditum eſt. Erant ſub oculis naufragia multorum, quos inſidioſa tranquillitate provectos improviſus turbo perculerat.* Hæc omnia ita in ſpeciem adornata, populo quidem grata erant, ſed in ſe ſpectata nihil poteſtati Principis derogabant. Ipſe enim Princeps contentus erat conſilii publici Dominum

num ſe eſſe, quemadmodum in liberâ Republ. Senatus erat: Nimirum ita ut Senatus nihil auderet, cujus ipſe non eſſet auctor. Illuſtria hanc in rem ſunt loca *Tacit. annal.* 13. *cap.* 8. *Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adverſus male meritos revocandæ libertatis jus Patronis daretur, nec deerant, qui cenſerent: At Coſſ. relationem incipere non auſi ignaro Principe, perſcripſere tamen Senatus conſenſum: ille auctor conſtitutionis fieret. add. lib.* 14. *cap.* 18. *lib.* 15. *c.* 26. & conſule *Langæum ſemeſtr. lib.* 7. *cap.* 13. Hinc apparet, quomodo accipienda ſint Vlpiani verba in *l.* 11. *ff. de Legib. Non ambigitur Senatum jus facere poſſe*: Hæc enim non ad hiſtoriam juris antiquam pertinere videntur, ut ſentit *Deſider. Herald. lib.* 2. *de auctorit. rer. judic. cap.* 1. & alii. Sed de ſuâ ætate locutum Vlpianum non poteſt dubitari, ita tamen, ut quid in ſpeciem actum fuerit nullâ adhibitâ cenſurâ Politicâ referat: SC. enim ad Conſtantini uſque tempora fuiſſe condita, teſtatur *Paganin. Gaudent. de Juſtin. ſec. morib. part.* 2. *cap.* 14. Sed illa ad arbitrium Principum compoſita erant.

Apparet præterea, quam inſignem errorem errent, qui externis hiſce ſchematibus decepti exſtinctâ liberâ republ. non Monarchiam, ſed Principatum fuiſſe inductum perſuadere conantur: Quo errore ſibi placet *Bodin.* 1. *de Rep. cap.* 8. iccircò notatus etiam *Excellentiſſ. Don. Præſidi in Comment. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Quantumvis enim talem mixturam in Nervæ imperio laudaverit *Tacit. in Agric. cap.* 3. quem ait, *res olim diſſociabiles miſcuiſſe, Principatum ac libertatem*: quò etiam ferè tendit, quod de Trajano *Plin. in paneg. Scis, ut ſicut diverſa natura dominatio & Principatus, ita non aliis eſſe Priucipem gratiorem, quàm qui maxime Dominum graventur*: Attamen ecquis non videat, quam oratoriâ arte hi ipſi ſententiis ac laudationibus ſuis formam, habitum, vim & decus Principibus ſuis machimentur, ut judicat *Ampliſſ. Præſes d. l* add. *eund. ad Tac. ann.* 1. *cap.* 9. *not. Pol n.* 7. Ita conſiſtit Dionis ſententia, qui ſub initium *lib.* 52. de Romanis aſſerit: poſt prælium Actiacum ἀκριβῶς μοναρχεῖσθαι αὖθις ἤρξαντο.

Antequam autem hinc digredimur, & illud attendi meretur, quantumvis

hoc Orationum inſtitutum longo ſatis tempore uſu receptum fuerit, eas tamen pedetentim à primâ ac nativâ ſuâ formâ ita deſciviſſe, ut non niſi nomen ac ſpeciem qualemcunque veterum illarum tandem referrent: Primis enim temporibus, id quod jam declaravimus, nullatenus ratæ erant, nec vim legum obtinebant, niſi Senatus auctoritate ac conſulto confirmatæ eſſent: Iccircò & Principes Orationes ſuas ita in Senatu proponebant, ut non certum jus conſtituere viderentur, ſed quod conſtituendum erat, Patribus deliberandum exhibere. Id quod apparet ex iis, quæ ſuperſunt, fragmentis; quale ἀποσπασμάτιον ex Oratione Adriani adfert *Ulpian. l.* 21. *ff. de heredit. petit. Diſpicite P. C. nunquid ſit æquius poſſeſſorem non facere lucrum & pretium, quod ex re alienâ perceperit.* Et *in l.* 1. *ff. de reb. eor. qui ſub tutel.* Orationis Severi hæc verba referuntur: *Præterea P. C. interdicam tutoribus, ne prædia ruſtica ſuburbana diſtrahant, niſi ut id fiat, Parentes codicillis vel teſtamento caverunt.*

Geminam planè ſpeciem exhibent illæ, quas ſupra ex Tacito & cæteris ſcriptoribus citavimus. Cæterum in-

ſequenti tempore mutavit hæc rerum facies; Siquidem SC non jam amplius ſequebantur Orationes Principum, nec iis confirmandis adhibebantur, ſed SC. oratione Principis erant confirmanda, quam cognito Patrum decreto & conſilio eam in rem ad Senatum mittebant. Oſtendit *Symmach. lib.* 10. *ep.* 28. *Supereſt, ut ea, quæ Serenitas Veſtra Patribus deliberanda propoſuit, cognito SC. Lex Auguſta confirmet. Idem lib.* 6. *ep.* 62. *Super impetratis adhuc ſperatur Oratio.* Prolixè autem in hanc rem facit *l.* 8. *Cod. de Legib. & Conſtitt. Princ.* ubi Impp. Theodoſ. & Valentinianus, ſui ſæculi morem ſatis accuratè deſcribunt. Et hi ferè Impp. ultimi reperiuntur, quorum orationes ad Senatum miſſas conſtat. Sic eorum eſt *oratio miſſa ad Senatum. l.* 2. *de curat. Calendar. Cod. Theodoſ. & l. unic. C. Theod. de cretione vel bon. poſſ. hac Oratione ſancimus.* add. *l. un. de Reſponſ. prud. l.* 8. *de legit. hæredit. l. ult. de revocand. donat. l. pen. & ult. de matern. bon. l. un. de bon. quæ filioſam.*

Ut tandem nunc ad Germanicorum quoque Comitiorum inſtituta deveniamus; quæ congregato Imperii Senatu

ab

ab Orationibus, quas Propoſitiones appellant, nomine Imperatoris recitandis exordium ſumunt: Eas ipſas Propoſitiones cum Romanorum Principum Orationibus comparari poſſe putavit *Goldaſt. in replic. pro Imper. cap.* 11. quem tamen hoc nomine aliquot argumentis in contrarium adductis confutat *Arumæ. de comit. cap.* 7. *n.* 3. *& ſeqq.*

Quâ occaſione non incongruum erit, ſi illam in Imperio noſtro Comitiorum rationem, tam eam, quæ remotioribus ſeculis in uſu fuit, quam quæ nunc recepta eſt, paullò altius, ſuccinctè tamen perſcrutemur.

Ordiendum autem nobis erit à tempore demum Caroli M. cujus quippe auſpiciis in unum corpus coalitâ Germaniâ, initia ejus vaſtæ Reipubl. cujus laciniæ etiamnum ſuperſunt, cœperunt. Is igitur poſteaquam maximam partem Germaniæ, quæ nunc ita vocatur, Francorum imperio adjeciſſet, eâdem penè formâ rempublicam conſtituit, quâ Francia regebatur: Siquidem præterAbbates & Epiſcopos, etiam Duces ac Comites ſingulis regionibus in provinciæ formam redactis præ-

facta in æs inciderentur, idque æs figeretur ad ſtatuam loricatam D. Julii. Parum viſum tantorum dedecorum curiam eſſe teſtem: delectus eſt celeberrimus locus, in quo legenda præſentibus, legenda futuris proderentur. Placuit ære ſignari omnes honores faſtidioſiſſimi mancipii, quoſque repudiaſſet, quoſque quantum ad decernentes pertinet geſſiſſet. Inciſa & inſculpta ſunt publicis monumentis prætoria: ſic quaſi fœdera antiqua, ſic quaſi ſacræ leges.

Atque ita hactenus expediviſſe nos reor ea, quæ ad hiſtoriam veterem de Orationibus Principum illuſtrandam pertinere viſa ſunt: Reliquum eſt ut ad cenſuram Politicam vocemus, & illam ſpecioſis admodum coloribus adumbratam libertatis imaginem, quibus imprudenti populo fucum facere amabant Principes, paullò altius contemplemur. Enimvero, quod jam in limine diſſertationis attigimus, inter præcipua hoc Auguſtæ domus arcana fuit, everſâ exſtinctâque libertate, inania libertatis ſimulacra oſtentare: Unde *Dio lib. 45. pag. 277. Imago quædam libertatis proponebatur dum omnia ex potentia agebantur. Et Tacit. in fin. lib. 1. annal. Specioſa verbis, re inania ac ſubdola,*

dola, quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tantò impenſius ad ſervitium eruptura. Inter ea vero ſimulacra non ultimum erat, quod Senatus munia ac auctoritatem, multis quantumvis partibus defloratam ipſi Principes fovere ac conſervare videri ſaltem volebant, eo conſilio ne priſtina Reipubl. ſpecies uno velut ictu inciſa diceretur, id quod grave nimis futurum eſſet populo, nondum exoleta in animis dulci libertatis memoria. Quem Conſilii finem innuit *Mæcenas ap. Dion. lib. 52. pag. 546.* ubi de ejuſmodi ſimulacris ſermonem habet, eaque duplici ratione Auguſto commendat: τὸ μὲν τῆς πατρίων μνήμης ἕνεκα, καὶ τοῦ μὴ παντελῶς τὴν πολιτείαν μεταλλάττειν δοκεῖν: *partim ad conſervandam inſtitutorum patriorum memoriam, partim ne penitus reſpubl. & ſtatus omnis immutari videretur.* Nimirum idcircò non temere nec non communicato ante cum Senatu conſilio ad Legum curam aut arduas res ſuſcipiendas prolabebantur, ſed ea prius in medium adferebant, factâ ſingulis ſententiæ dicendæ copiâ: Cujus conſilii quoq; auctorem Auguſto fuiſſe Mæcenatem argumento eſt ipſius Oratio apud *Dion. lib. 52.* ubi hoc

quo-

poſt: *nec defuit fides, multaque arbitrio Senatus conſtituta ſunt.* Quam plena callidæ adulationis vox illa Othonis apud eund. *Hiſt. lib.* 1. *cap* 84 *Æternitas rerum & pax gentium & mea tum veſtra ſalus incolumitate Senatus firmatur: Hunc auſpicato à Parente & conditore urbis noſtræ inſtitutum & à Regibus uſque ad Principes continuum & immortalem ſicut à majoribus accepimus, ſic poſteris tradamus.* Cæterum ecquis diffiteatur haſce & adfines orationes alias *plus dignitatis quam fidei habuiſſe*, ut notat *Tacit. annal. lib.* 1. *cap.* 11. æque ac illa adſcititia Principum modeſtia, & oſtentatum libertatis ſtudium: Neque enim aliter cum Senatu egiſſe videntur quam cum populo: Siquidem nec huic libertatis ſuæ anteſignani adempti erant, ſed manſit Tribunor. pleb. nomen ad Conſtantini uſque tempora, ut obſervat *Onuphrius in comm. faſt. lib.* 1. *ad ann.* 261. dabaturque iis etiam intercedendi facultas. Oſtendit *Tacit. lib.* 1. *annal. cap.* 77. *Actum*, inquit, *de ea ſeditione apud Patres, dicebanturque ſententiæ, ut Prætoribus jus virgarum in hiſtrionibus eſſet: Interceſſit Haterius Agrippa Trib. pl. increpituſque*

eſt

lib. 3. *annal. cap.* 31. *Cæterum*, inquit, *tempora illa adeò infecta fuere ut non modo primores civitatis quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat, ſed omnes Conſulares, & magna pars eorum qui Prætura functi, multique etiam pedanei Senatores certatim exſurgererent, fœdaque & nimia cenſerent: memoriæ proditur, Tiberium quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum, ò homines ad ſervitium paratos! ſcilicet illum quoque qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patientiæ tædebat.* Nec aliter deſcribit temporum illorum miſeriam *Plin. lib.* 8. *epiſt.* 14 *Iidem proſpeximus Curiam trepidam & elinguem, cum dicere quod velles periculoſum, quod nolles etiam miſerum eſſet; Quid tunc diſci potuit? Quid didiciſſe juvit, cum Senatus aut ad otium ſummum, aut ad ſummum nefas vocaretur: & modo ludibrio modo dolori retentus, nunquam ſeria, triſtia ſæpe cenſeret?* Quo pertinet ejuſdem querela in *paneg. cap.* 72. *Quis ante loqui, quis hiſcere audebat? Præter miſeros illos qui primi interrogabantur, cæteri quidem defixi & attoniti ipſam illam mutam & ſedentaram aſſentiendi neceſſitatem quo cum do-*

G lore

re animi, quocum totius corporis horrore perpetiebantur, unus ſolusque cenſebat, quod ſequerentur omnes, & omnes improbarent.

Unde facile conſtat, qualis fuerit Senatus auctoritas, quantum de Legum poteſtate, de Reipubl. curâ participaverint: Nimirum omne id in manu Principum poſitum erat, qui quoties tenaciores ſuæ potentiæ eſſent, parum indulſere Senatui, aliis paullò modeſtioribus hanc libertatis umbram Senatui facilè largientibus. Ab eâ modeſtiâ præcipuè ſuum commendat Principem, *Plin. in paneg. Illuxerat*, inquit, *primus conſulatus Tui dies, quo tu curiam ingreſſus, nunc omnes, nunc ſingulos adhortatus es reſumere libertatem, capeſſere quaſi communis Imperii curas, invigilare publicis utilitatibus & inſurgere. Omnes ante Te eadem iſta dixerunt, nemini tamen ante te creditum eſt. Erant ſub oculis naufragia multorum, quos inſidioſâ tranquillitate provectos improviſus turbo perculerat.* Hæc omnia ita in ſpeciem adornata, populo quidem grata erant, ſed in ſe ſpectata nihil poteſtati Principis derogabant. Ipſe enim Princeps contentus erat conſilii publici Domi-

num

num ſe eſſe, quemadmodum in liberâ Republ. Senatus erat: Nimirum ita ut Senatus nihil auderet, cujus ipſe non eſſet auctor. Illuſtria hanc in rem ſunt loca *Tacit. annal.* 13. *cap.* 8. *Per idem tempus actum in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, ut adverſus male meritos revocandæ libertatis jus Patronis daretur, nec deerant, qui cenſerent: At Coſſ. relationem incipere non auſi ignaro Principe; perſcripſere tamen Senatus conſenſum: ille auctor conſtitutionis fieret. add. lib.* 14. *cap.* 18. *lib.* 15. *c.* 26. & conſule *Langæum ſemeſtr. lib.* 7. *cap.* 13. Hinc apparet, quomodo accipienda ſint Vlpiani verba in *l.* 11. *ff. de Legib. Non ambigitur Senatum jus facere poſſe*: Hæc enim non ad hiſtoriam juris antiquam pertinere videntur, ut ſentit *Deſider. Herald. lib.* 2. *de auctorit. rer. judic. cap.* 1. & alii. Sed de ſuâ ætate locutum Vlpianum non poteſt dubitari, ita tamen, ut quid in ſpeciem actum fuerit nullâ adhibitâ cenſurâ Politicâ referat: SC. enim ad Conſtantini uſque tempora fuiſſe condita, teſtatur *Paganin. Gaudent. de Juſtin. ſec. morib. part.* 2. *cap.* 14. Sed illa ad arbitrium Principum compoſita erant.

Apparet præterea, quam inſignem errorem errent, qui externis hiſce ſchematibus decepti exſtinctâ liberâ republ. non Monarchiam, ſed Principatum fuiſſe inductum perſuadere conantur: Quo errore ſibi placet *Bodin.* 1. *de Rep. cap.* 8. iccircò notatus etiam *Excellentiſſ. Don. Præſidi in Comment. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Quantumvis enim talem mixturam in Nervæ imperio laudaverit *Tacit. in Agric. cap.* 3. quem ait, *res olim diſſociabiles miſcuiſſe; Principatum ac libertatem*: quò etiam ferè tendit, quod de Trajano *Plin. in paneg. Scis, ut ſicut diverſa natura dominatio & Principatus; ita non aliis eſſe Principem gratiorem, quàm qui maxime Dominum graventur*: Attamen ecquis non videat, quam oratoriâ arte hi ipſi ſententiis ac laudationibus ſuis formam, habitum, vim & decus Principibus ſuis machimentur, ut judicat *Ampliſſ. Præſes d. l* add. *eund. ad Tac. ann.* 1. *cap.* 9. *not. Pol n.* 7. Ita conſiſtit Dionis ſententia, qui ſub initium *lib.* 52. de Romanis aſſerit: poſt prælium Actiacum ἀκριβῶς μοναρχεῖσθαι αὖθις ἤρξαντο.

Antequam autem hinc digredimur, & illud attendi meretur, quantumvis hoc

hoc Orationum inſtitutum longo ſatis tempore uſu receptum fuerit, eas tamen pedetentim à primâ ac nativâ ſuâ formâ ita deſciviſſe, ut non niſi nomen ac ſpeciem qualemcunque veterum illarum tandem referrent: Primis enim temporibus, id quod jam declaravimus, nullatenus ratæ erant, nec vim legum obtinebant; niſi Senatus auctoritate ac conſulto confirmatæ eſſent: Iccircò & Principes Orationes ſuas ita in Senatu proponebant, ut non certum jus conſtituere viderentur, ſed quod conſtituendum erat, Patribus deliberandum exhibere. Id quod apparet ex iis, quæ ſuperſunt, fragmentis; quale ἀποσπασμάτιον ex Oratione Adriani adfert *Ulpian. l. 21. ff. de heredit. petit. Diſpicite P. C. nunquid ſit æquius poſſeſſorem non facere lucrum & pretium, quod ex re alienâ perceperit.* Et *in l. 1. ff. de reb. eor. qui ſub tutel.* Orationis Severi hæc verba referuntur: *Præterea P. C. interdicam tutoribus, ne prædia ruſtica ſuburbana diſtrahant, niſi ut id fiat, Parentes codicillis vel teſtamento caverunt.*

Geminam planè ſpeciem exhibent illæ, quas ſupra ex Tacito & cæteris ſcriptoribus citavimus. Cæterum in-

ſequenti tempore mutavit hæc rerum facies; Siquidem SC non jam amplius ſequebantur Orationes Principum, nec iis confirmandis adhibebantur, ſed SC. oratione Principis erant confirmanda, quam cognito Patrum decreto & conſilio eam in rem ad Senatum mittebant. Oſtendit *Symmach. lib.* 10. *ep.* 28. *Supereſt, ut ea, quæ Serenitas Veſtra Patribus deliberanda propoſuit, cognito SC. Lex Auguſta confirmet. Idem lib.* 6. *ep.* 62. *Super impetratis adhuc ſperatur Oratio.* Prolixè autem in hanc rem facit *l. 8. Cod. de Legib. & Conſtitt. Princ.* ubi Impp. Theodoſ. & Valentinianus, ſui ſæculi morem ſatis accuratè deſcribunt. Et hi ferè Impp. ultimi reperiuntur, quorum orationes ad Senatum miſſas conſtat. Sic eorum eſt *oratio miſſa ad Senatum. l.* 2. *de curat. Calendar. Cod. Theodoſ. & l. unic. C. Theod. de cretione vel bon. poſſ. hac Oratione ſancimus.* add. *l. un. de Reſponſ. prud. l.* 8. *de legit. hæredit. l. ult. de revocand. donat. l. pen. & ult. de matern. bon. l. un. de bon. quæ filiofam.*

Ut tandem nunc ad Germanicorum quoque Comitiorum inſtituta deveniamus, quæ congregato Imperii Senatu

ab

ab Orationibus, quas Propoſitiones appellant, nomine Imperatoris recitandis exordium ſumunt: Eas ipſas Propoſitiones cum Romanorum Principum Orationibus comparari poſſe putavit *Goldaſt. in replic. pro Imper. cap.* 11. quem tamen hoc nomine aliquot argumentis in contrarium adductis confutat *Arumæ. de comit. cap. 7. n. 3. & ſeqq.*

Quâ occaſione non incongruum erit, ſi illam in Imperio noſtro Comitiorum rationem, tam eam, quæ remotioribus ſeculis in uſu fuit, quam quæ nunc recepta eſt, paullò altius, ſuccinctè tamen perſcrutemur.

Ordiendum autem nobis erit à tempore demum Caroli M. cujus quippe auſpiciis in unum corpus coalitâ Germaniâ, initia ejus vaſtæ Reipubl. cujus laciniæ etiamnum ſuperſunt, cœperunt. Is igitur poſteaquam maximam partem Germaniæ, quæ nunc ita vocatur, Francorum imperio adjeciſſet, eâdem penè formâ rempublicam conſtituit, quâ Francia regebatur: Siquidem præterAbbates & Epiſcopos, etiam Duces ac Comites ſingulis regionibus in provinciæ formam redactis præ-

fecit, quorum ſcil. virtute ac viribus adjutus, feliciſſima ubique arma circumtulerat, totque ditiones acquiſiverat. Horum præcipua erant munera, Imperatorem concomitari, jura ſubditis dicere, &, velut in partem curarum ab Imp. aſſumptos decet, conſiliis operâque ſuâ eidem præſtò eſſe. Vid. quos hanc in rem allegat *Nicol. Mylerus ab Ehrenbach in Archolog Ordd. Imperial. cap* 6. *n.* 5. Ita enim *Imp. Carolus Magnus* in Comitiis Anno DCCLXXVII. Padabruni celebratis antequam Coronam Romanam obtinuerat, milites ſeu nobiles Francos & Germanos ſuos alloquitur: *Ite, milites mei, vos Heroes vocabimini ſocii Regum, Judices criminum: Vivite poſthac laboris expertes, conſulite Regibus publico nomine, favete orphanis, juvate pupillos, conſilio circumdate Principes, ab his victum & ſtipendia petite. Goldaſt. in Conſtitt. Imperial. tom.* 3. *Latin. fol. m.* 120. Atque hi ipſi ſunt, cum quibus de gravioris momenti rebus deliberare ſolebat Carolus, eorumque conſilia in Comitiis explorare. Quod ipſum luculente nobis teſtatum reliquit *Hincmarus Archiepiſcop. Rhemenſis nobili Francorum pro-*

proſapiâ oriundus, inque aulicis regni negociis ætate Ludovici Pii, ejuſque filiorum verſatiſſimus epiſtolâ ad Epiſcopos Franciæ perſcriptâ 3. *cap.* 29. *Conſuetudo*, ait, *erat tùnc temporis trita, ut non ſæpius, ſed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium: quod ordinatum nullus eventus rerum, niſi ſumma neceſſitis, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabat: In quo placito generalitas univerſorum Majorum, tàm Clericorum quàm Laicorum conveniebat. Seniores propter conſilium ordinandum: Minores propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate; ſed ex proprio mentis intellectu, vel ſententiâ confirmandum.* Quibus verbis unum ſolum concilii genus deſcribit, nimirum quod erat univerſale & commune totius populi. In quo non Majores ſolum, ſed Minores quoque conveniebant. Unde hunc Hincmari locum optimè emendat *Excellentiſſ. D. Conringius in diſp. de Germanic. Imp. civib. n.* 13. ut ita legatur: *generalitas univerſorum Majorum & Minorum*: Per Majores vel Seniores, tàm Laicos quam Clericos, intelligit Du-

G 5 ces,

ces, Comites, Abbates, Epiſcopos, quibus jus ſuffragii in Comitiis ferendi erat: Per minores verò non tam Schultetos, Judices & Magiſtratus oppidanos, quò tendere videtur *Lehemann. in Chron. Spirenſ. lib.* 2. quam populum univerſum, quod ſolidis ſatis rationibus probat *Dn. Conring. diſp. alleg. n.* 33. Ejuſmodi verò concilia, ſeu, ut illa ætas vocat, *placita* ſingulis fermè annis habebantur, quod prolixè oſtendit *D. Arumæ. tr. de Comit. cap.* 4. *num.* 13. Cæterum quando hæc concilia vel cum Senatu Romano, vel cum iis, quæ hodienum conſtituuntur Comitiis in contentionem arceſſimus, apparebit, quanta eorum ab utroque hoc concilii genere ſit diverſitas. Quod enim Senatum Romanum attinet, quantumvis ex permiſſione ac merâ Principum indulgentiâ ſuam obtinerent auctoritatem, ea tamen ita comparata erat, ut præter nudam conſulendi facultatem etiam decernendi confirmandique, ea quæ à Principe proponebantur, poteſtatem continere videretur, ita ut in condendis Legibus non conſilium modo Patrum, ſed conſenſus etiam requireretur. At verò Caroli M. poteſtas

verè

verè regia fuit, nullius arbitrio hunc in modum obnoxia, ita ut quod Leges & cætera Majeſtatis jura ſpectat, omnia ſuo arbitratu peregerit, adhibitis in conſilium ſaltem Proceribus & populo.

Quantumvis enim longè aliud colligere liceret ex iis, quæ adducit *Fr. Hotomannus in Francogall. paſſim, imprimis cap.* 12. 13. *&* 14. attamen quàm ea parum ſolidis rationibus innitantur, pridem oſtenſum eſt *Excellentiſſ. Dn. Bœclero noſtro in Comment. de reb. ſec.* 9. *&* 10. *p. m.* 19.

Cujus hâc de re judicium nobis pariter cynoſuræ inſtar eſſe poterit ad diſcutienda ea, quæ adferuntur ab *Arumæ. lib. de Comit. cap.* 4. *n.* 1. *& ſeqq.* ubi diſertè aſtruere non veretur, *Placita illa ſub Caroli M. & ſucceſſorum imperio habita, tàm noſtris Comitiis, quam ovum ovo quadrare.* Quod enim ait, *credibile non eſſe unquam Germanos eam in ſervitutem ſe demiſiſſe, & à priſtinâ libertate in obſequium Caroli veniſſe, quod ad ejus vel ſucceſſorum quoque nutum ſtatim graviora regni negocia ordinare coacti fuerint*, ecquis non videt parum firmâ ratione hæc colligi, cum id jure belli à

Carolo factum, quo victi leges à victoribus accipiunt. Quod Hincmari porrò auctoritatem attinet, parum ad rem ea facere videtur. Præterquam enim quod locutio ejus ævi Scriptorum non accuratè adeò attendi meretur, ut inde argumentum peti poſſit, ipſa etiam illa Hincmari verba aliam longè mentem præferunt, quam quò ea detorquet Arumæus. Verba ea ſunt quæ ſuperius jam adduximus: Vnde hanc exſtruit collectionem: *Id quod ordinatum ac ſtatutum in conventu nullo eventu rerum illo anno, niſi ſolà neceſſitate mutari potuiſſe. Regis ergò vel arbitrio Imperatoris Comitiorum ſubjecta concluſio non fuit, ſed neceſſitate quàdam ad ejus obſervantiam non minus ac ordines conſtrictos fuiſſe.* Sanè hanc argutationem parum convenire menti verbiſque Hincmari ſatis liquet: Quod enim ordinatum ac ſtatutum in conventu erat, juſſu nimirum ac auctoritate Caroli ut Regis, adhibito Procerum plebiſque ſaltem conſilio, id mutari non potuit: Quo ipſo non tam libertas Caroli, quam Procerum conſtricta fuit; Et quis credat, eo animo fuiſſe Carolum, ut ſponte ſe arbitrio eorum ſubmitteret, quos ipſe tum temporis

poris ut Præſides ſingulis præfecerat Provinviis.

Cæterum quamdiu Imperium continua ſucceſſione ad poſteros Caroli Magni propagatum fuit, dubium non eſt quin conciliorum ac conventuum eadem manſerit ratio; Ea vero ſtirpe in Ludovico IV. deficiente arctius paullò aſtrictam pedetentim fuiſſe Imperatorum poteſtatem non nulli arbitrantur, partim quod tum temporis libera electione Imperium conferri cœpit, partim etiam quod dignitates Procerum progreſſu temporis hereditariæ factæ fuerint. At vero illud à fide Hiſtoriarum planè alienum quod ſubſequentes Imperatores nuda Electione ad Imperium pervenerint, tum nec dignitates Procerum ſimul omnium jure hereditario poſſideri cœperunt, ſed pauciſſimarum ſaltem, invaleſcente poſtea longo temporis tractu feudorum conferendorum uſu. Icircò Comitia quidem ſæpius celebrata, illiſque de republica, de pace & bello, de tributis & vectigalibus, de legibus ferendis, &c. deliberatum, vigente tamen in omnibus regia poteſtate, ut inculcat *Excellentiſs. D. Præſes in Comm. ſect.* IX. & X.

&. x. *pag.* 323. Satis id oſtendit quoque Friderici I. Oratio, qua Proceres Imperii hortatus eſt, in medium ut conſulant, de Legibus novis vel ferendis, vel antiquis ſenium paſſis & juſticio diuturno oppreſſis renovandis, apud *Gunth. Lig. lib.* 1. *verſ.* 457. ubi inter alia hæc:

Ipſe quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, legumque immunis & expers,
Non ſervire quidem cogar, ſed condere jura
Fas habeam, veſtris cupio diſponere cuncta
Conſiliis, noſtro non ægrè ſpondeo juſſu,
Vel ſancire novas, vel priſcis legibus uti.
Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum
Aut regale puto quam legis jure ſolutum,
Sponte tamen Legi ſeſe ſupponere Regem.

Duæ adhuc ejuſdem Frederici exſtant aliæ Orationes apud eundem *Gunther. lib.* 7. *verſ.* 327. *& lib.* 9. *verſ.* 197. quibus Principes Imperii contra Mediolanen-
ſes

ſes inſtigat. Dicebantur tum temporis Comitia ſignanter CURIÆ, Germ. Hove, vid. quæ notat *Marquard Freher. in Conſtit. Adolf. Rom. Reg. in Curia Norimbergenſi promulgata.* Ubi de Curiis Cæſarum & Legibus Curiatis agit: Celeberrima fuit illa Caroli IV. apud Nurembergam MCCCLVI. habita in qua cum ſumma rerum in Imperio pleraque diſtinctiſſimè ordinata fuerunt, tum de ipſa ratione & forma Curiarum habendarum diſpoſitum *vid. A B. cap.* 26. unde magnam partem in ſuum Commentarium de Imperio Romano tranſtulit *Petrus de Andlo lib.* 2. *cap.* 15. add, *Hippolyt. à Lapid. de R. S. part.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 3. *n.* 15. 16.

Atque ab hoc tempore paullatim creviſſe tam Comitiorum quam Statuum auctoritatem indubium eſt, donec Maximiliano I. Imperatore fermè roborata, antiquæ Imperatorum potentiæ tantum fuit derogatum, ut in iis quæ pacem ac bellum, Leges ferendas &c. ſpectabant, non conſilio ſolum ſed conſenſu quoque Imperii Statuum opus eſſe cœperit. Quod enim ante dicebatur conſilio Procerum factum, ut & *in Reformat*, *Friderici III.*

de

de Anno 1441. *adhuc & in Conſtitut. Maximiliani I. de pace publ. de Anno* 1495. videre eſt, id poſtea conſilio & conſenſu eorum conſtitutum ferebatur: unde illa in Receſſib. Imp. ſemper ferè adjecta clauſula nata: Vnd haben wir vns mit den Stånden vnd ſie ſich hinwiedrumb mit vns verglichen; Hocque ipſum eſſe videtur quod *Tobias Paurmeiſter. lib. 2. de juriſdict. Imp. cap. 2.* Conſenſum mutuum Cæſaris & ordinum Imperii formam ſubſtantialem facit decretorum Comitialium.

Unde jam ſatis conſtat ea quæ nunc inſtituuntur Comitia, ſecus quam aſtruere conatur Arumæus, à placitis ac Curiis illis veterum Imperatorum in plurimis differre.

Multò minus autem Comitia noſtra cum antiquo Romanorum Senatu qui Impp. tempore fuit, contendi poterunt: Enimverò nihil hic fictum, nihil quod ſubdolè aut in ſpeciem tantum, agatur, nihil quod ab ordinibus precariò & ex conniventiâ Imperatoris teneatur, ſed omnia certis legibus ordinata, quibus tam Imperatori ſua poteſtas quam ordinibus jura ac libertas inte-

integra & illibata conſervantur. Nimirum in ejuſmodi Senatu qualis erat tum temporis Romanus, aut ſi quæ alia id genus comitia adferri poſſunt, Ordines cum Principe conſultante habent ſe inſtar cauſæ inſtrumentalis, nec efficiunt decretum, ſed Principi efficienti operâ & miniſterio præſtò ſunt. In noſtris verò Comitiis Ordines Imperii vera & propria efficientia ad decretum concurrunt, & una cum Cæſare cauſam efficientem principalem referunt. Ibi conſenſus ac voluntas ordinum ad bene eſſe, hic ad eſſe decreti concurrit. Hæc omnia miris modis conturbat ac involvit *Hippolyt.à Lapide part.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 1. *& ſequ.* quando omnem comitialem poteſtatem Imperatori detrahit, cumque ut miniſtrum Imperii, aut Præſidem ſaltem Comitiorum confidentius paullò agnoſcit, Ordinibus contra omni ſumma poteſtate attributa. Cujus quidem argumenta facili negocio convelli poſſe videntur, nec id ab inſtituto alienum foret, ſiquidem temporis ratio longius exerrare permitteret: Nos impræſentiarum hic anchoram figimus: hæc & quæ hiſce gemina adferri poſſent alia in commodius tempus differentes. *D I X I.*

Digitized by Google

DE

EXCEPTIONIBUS

Tacitis in pactis publicis

DIATRIBE.

Digitized by Google

Σ. Θ.

DE

EXCEPTIONIBUS

Tacitis in pactis publicis

DIATRIBE.

Inſignem quidem ex hoc Jenenſi ocio, quod mihi certis ex rationibus indixi, fructum hauſiſſe me agnoſco, dum pauxillis abhinc diebus Tibi, *Generoſiſſime Domine*, innoteſcendi obtigit copia; Ejus enim pridem ardebam deſiderio, nominis virtutumque Tuarum illuſtri famâ commotus, quippe quæ ſepoſitas etiam ongiùs oras pervaſit, magnificamque bivis Tui concivit exiſtimationem; la profecto quam ortus felicitati debes italium dignitas, tum exactiſſima iblicarum rerum peritia, earundeme tractandarum prudentia haud proaria, ſolidæ multifariæque eruditioſatellitio cumulata, talia ſunt, quæ divi-

diviſa ſibi ſuum ſingula pretium auferunt; ecquod adeo Tibi decus moliri exiſtimanda, quem penes familiari conſortio ſociata apparent univerſa? Ego certè quoties in eorum contemplatione obhæreſco, occultis me fodicari ſtimulis ſentio, ne illam quæ mihi inde oborta, nominis meritorumque Tuorum venerationem in conſcientiam abſtruderem, ſed publicâ etiam profeſſione hoc impenſiùs teſtatam facerem, quo promptiùs Tua mihi & humanitas & benivolentia patuere. Anſam in id porrigebant habiti abs Te Sermones, quibus inter alia ſublime de negociis publicis judicium ſpirantia, conquerebaris, quod fœderum conventionumque publicarum firmitudo, lubrico hodienùm talo videretur inſiſtere, dum varia commenta & *exceptiones* in numerato eſſent, quæ quidem ſpecioſis honeſti involucris abſconderentur, ſed inveniendis perfidiæ latebris, omniſque adeo fidei publicæ fœderumque religioni ſubvertendæ abrogandæque opportunæ eſſent. Mereri argumentum videbatur, in quo curatiùs elucubrando operam ponerent qui & veræ intimiorique philoſophiæ Juris innutriti, & multipli-

ci

ci rerum uſu pariter inſtructi eſſent, quæ quippe utraque ſubſidia eò imprimis adferenda eſſe pateſcit; Fraudi tamen mihi non futurum ratus, ſi eâ de re non nihil ſubitariâ velut operâ ac propter viam delibarem, non quò eam quam ſubactis ingeniis deberi provinciam agnovi, temerè occuparem, ſed concinnandis ſaltem aliquem in ordinem, quæ hinc inde in Illuſtrium Virorum commentariis diſperſa & indigeſta delite-ſcere ſuccurrebant, & ut ad fontes, unde hæc uberiùs derivanda eſſent, digitum velut intenderem, tum verò imprimis ut hinc occaſio ſuppeteret, quâ tenui magis quam nullo meam adverſus TE verentiam documento publicè exomerem.

Ita igitur ferè fieri uſu & experi-entis abundè docemur, ut quicunque ambitionis occaſionumve allucentium illecebris moti, turbandis vandiſque rebus animum adjece-t, quàm facillimè ſibi è fœderum u & repagulis elabendi rimas repe-t, adſcitis undecunque *exceptioni-* & interpretamentis, quæ pactis ta-comprehendi volunt, & quibus diæ culpâ factum eximunt, eidem-

que

que & decori honeſtique colorem allinunt; Cauſas hujus perverſitatis ſciſcitantibus non unæ occurrent. Sunt quibus eo Principum animis adrepere mos eſt, ut quæ apud illos pronis auribus accipi norunt, omni contentione ut juris honeſtique regulæ exactiſſimè conſentanea probent collaudentque, quaruncunque ejus cupiditatum egregii ſatellites, & ſi in ambitioſum Principem incidant quorumvis promiſcuè juſti honeſtique normæ obluctantium conſiliorum miniſtri; Alii arreptis temerè argutis quibuſdam ratiunculis, oppidò ſibi placent, ſi in adſtruendo quodam paradoxo, ex falſiſſimis ſuppoſitionibus orto, etiam cum ſummâ fidei ſalutiſque communis noxâ facundi & ſapientes videantur, eoque egregio publico, & communi ſocietatum civilium bono cæca illa & perſonata vulnera inferunt. Non nulli denique etiam ignorantiâ perniciosè hallucinantur, qui nempe parum intelligunt, quantùm ad ſalutis publicæ rationes probè tutandas deſit, ubi interior illa philoſophia facem non præfert, eamque adeo ſummo velut digito attigiſſe contenti, quoties in conſilii quæſtione jura factis re-

rebuſque præſentibus attemperanda, ea ſubinde præter omnem eorum rationem nativam & genuina principia invertunt ac detorquent, & ut eſt in diverbio, Herculis ſæpè cothurnos infanti aptant; *Eminentis* id *dominii* exemplo ut & aliis compluribus patefcit, cujus naturam cum egregiè primus ferè inveſtigaverit expoſueritque Grotius, alii ferè minus excuſſa germanâ ejus & originariî indole tàm ſpecioſo titulo ad ntendendam Principum dominatio-em, & exhauriendas ad lubitum fortu-as ſubditorum abuſi, iniquiſſimiſque leo ſubinde actionibus, quibus nuſ-iam aliunde ſuppetebat color, in eo elut aſylum ac certiſſimum perfugium nſtituere: Atque hanc quidem de *ceptionibus tacitis* philoſophiam id ius hominum cavillationibus ac dini etiam magnopere patere, & ipſa endunt vocabula & uſus rei exem-rumque confirmat, ut non temerè uod alicubi Bodinus: [1] *Nunquàm e imprudentiæ Princeps exſtitit, qui ti promiſſi fidem violare fas eſſe di-, ſed alius pravum conſilium, alius a converſionem, quæ provideri nullà*

H po-

ib. 5. de Rep. c. 6. p. 933.

potuère prudentiâ excuſat, aut quia promiſſa ſervari ſine reip. interitu non poſſint, denique omnia jure facta defenduntur, ut vel oportuerit, vel neceſſe fuerit, vel imprudentià & improviſo caſu factum ſit, quæ cauſæ cum incidunt, violandæ fidei occaſionem præbere ſolent. Cæterum uti iniquius foret hæc omnia eodem ſtylo confodere, & quæ ex ipſo æquitatis fonte promanant, & adverſus apices pactorum ſummique juris rigorem comparata ſunt remedia, propter inde pullulantes pravitate humani ingenii abuſus & interpretationes malitioſas triſti promiſcuè cenſurâ ex honeſti laudabiliſque conſilii momentis ſubmovere; Ita diſcernere quidem illam cavillandæ fidei libidinem & ſolida à fluxis fucatiſque ſeparare omnino fas eſt; Hæc enim ignorata incorruptioribus ſeculis, inter cætera demum bonum publicum & civilium ſocietatum vincula peſſundantia mala invaluere: Innoxiam majorum integritatem cum ſui ævi depravatis moribus contendit Livius: *Nondum*, ait[z], *hæc quæ nunc tenet ſeculum negligentiâ DEVM veneratur, nec interpretando ſibi quiſque juramentum & leges*

z *Lib.* 3. *c.* 22.

leges aptas faciebant, ſed ſuos potius mores ad ea accommodabant: Atque adeo palàm eſt, quantâ in hoc argumento ſollicitudine, quâ cautione verſandum, ne tot undique prominentibus ſcopulis impingat ſumma publicæ fidei ratio, cujus quidem tenerrima cuſtodia Chriſtianis Principibus prima inter conſilii momenta refertur.

Proinde hoc intuitu etiam ante omnia ac in limine velut ſemovendæ nobis illæ quæ ex natura vocabuli comprehenſæ videri poſſent, nequaquam tamen comprehenſæ ſunt Exceptiones tacitæ, quando ea quæ extrinſecus affirmare quis videatur, in animo ſuo negare inſtituit, & vice verſâ: quibus comminiſcendis callidiſſimi ſed inſigni ſuo opprobrio audiunt iſti *mentalium reſervationum* architecti: [3] A quibus nec abeunt longe illæ condiciones tacitæ quæ ex alterâ tantum parte animo retinentur, quod genus *taciti* exinde eleganter *abortivum* dixere ſcholaſtici: [4] Pacta enim imprimis omnes reſtrictiones ejuſmodi tacitas ex naturâ rei

3 *Vid. Ludovic. Montalt. epiſt provinc.* 9.
4 *Cardin. Mantic. de tac. & ambig. convent. lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 24.

non omnino neceſſarias repudiare cenſentur, [5] à quibus proinde & jura Civilia abhorrent, *propoſitum mente retentum nihil in pactis operari*, ſtatuentia atque id elegantibus paſſim exemplis confirmantia. [6]

Nimirum eas hic demum intelligimus *tacitas Exceptiones*, quæ aut ipſi conventioni naturaliter inſunt, quanquàm non expreſſæ, aut quæ ex veræ paciſcentium voluntatis ac intentionis conjecturâ perinde atque ſi inſint habentur: Has ſcilicet & Philoſophorum conſenſu & legum auctoritate, & moratiorum gentium uſu exemplisque ipſo rectæ rationis, tum æqui honeſtique dictamine prælucente adſtruere licebit: E Philoſophis Plato; [7] *ſi quis*, inquit, *non videatur pacta ſervaſſe, niſi lex aut decretum prohibeat, aut neceſſitas & vis allata coëgerit, aut inopinatus caſus emerſerit, in illis tribuum judices cognoſcant.* Et Cicero, [8] *quædam enim, ait, tacitis etiam exceptionibus caventur*: Ac de omni diſpoſitione circa actus humanos acci-

5. *Grot. de I.B. & P. c.16. n.29*
6. *L. 7. C. de condict ob cauſ. dat. l.25. C. de tranſact. l.3. §.7. ff. de condict. ob cauſ. dat.*
7. *Lib. 11. de Legibus.*
8. *L. de invent. 47.*

accipiendum quod de Lege ſpecialius aſſerit Seneca: [9] *Multa in Lege quamvis non excipiantur, intelliguntur tamen, ſcriptum Legis anguſtum interpretatio diffuſa, quædam vero tàm manifeſta ſunt, ut nullam cautionem deſiderent.* Et Quintilianus alicubi: [10] *quædam etſi nullâ ſignificatione Legis comprehenſa, naturâ tamen excipiuntur.*

Earundem Exceptionum vim propoſuit & eleganti exemplo illuſtravit inter veteres Jureconſultos Celſus: [11] *Si cui*, ait, *ſimpliciùs via per fundum cujuſpiam concedatur, vel relinquatur, in infinito videlicet per quamlibet ejus partem ire agere licebit: Civiliter modo, nam quædam in ſermone tacitè excipiuntur, non enim per villam ipſam, nec per medias vineas ire agere ſinendum eſt, cum id æque commodè per alteram partem facere poſſit, minori ſervientis fundi detrimento.* Et recentiores id genus non paucas enumerant, veluti [12] *ſi DEUS voluerit, ſi vixero, ſi potuero, ſi tempus concedatur, ſi æquum fueris arbitratus,*

9. *L.* 4. *controv.* 27.
10. *Inſt Orat* 4. *c.*6.
11. *L* 9 *ff. de ſervitut.*
12. *Odendorp. in Topic. in loc. ab auctorit ſ. præjudic. n.*5.

ſi tempus concedatur, ſi non fueris injurioſus aut detrimentoſus, ſi rem licitam mandaveris aut pactus fueris, ſi lex aut ſuperior id approbaverit, ſi neceſsitas me non in contrarium cogat. Præclarè etiam in rem ſuam hac exceptionum æquitate uſa quondam legitur Angliæ Regina Eliſabetha, quæ Batavis inſtantibus, nequaquam ipſi à pactis reſiliendum eſſe ſiquidem honori ſuo conſulere vellet, acriter reſpondit: [13] *Quod omnes contractus cum Principe intelligantur admittere interpretationem bonæ fidei, neque Princeps ex ſuo contractu teneatur, quando contractus ex juſtâ cauſâ in publicum cedat detrimentum. Quod pax non rumpatur ſi Princeps ex novi caſus contingentiâ à pacto ſuo recedat, vel quando res devenit ad novum caſum, de quo fuiſſet aliter proviſum, ſi cogitatum fuiſſet; Quod fœdera ac pactiones Principum cavillari non debeant, neque violantibus pacta debeant obſervari; quod Princeps contractu celebrato in cauſâ reſpiciente ſtatum ſuum non tenetur, ſi in præjudicium aut detrimentum ſubditorum vergat, quod omnis conventio quantumvis jurata, intelligatur rebus ſic ſtantibus, quod fortius quis*

13. *Cambd. in vit. Eliſab. part. 4. pag. 650.*

quis obligetur Reipubl. quam promiſſioni propriæ.

Exhibent hæc nobis farraginem Exceptionum tacitarum, quarum tamen ſingulæ non eôdem promiſcuè cenſu habendæ, utque penitius earum natura & virtus internoſcatur, ad ſuos fontes revocandæ & de omnibus ſigillatim inſtituenda explicatio. Iſtud generatim conſtat quod omnis exceptio naturaliter conditionem præſupponat, quæ velut mater eſt exceptionis cujuſcunque, dum vim virtutemque ipſam obligationis alioquin ex pacto procedentis aut perimit aut laxat & ceſſare facit quoties in ipſo negocio emergit. Alia vero *conditio* eſt quæ exſertis verbis in ipſâ conventione exprimitur, quæ ipſa tacitas quoque generat quidem Exceptiones ſed per *modum remotionis* nec illo ſenſu quo nobis heîc tractantur: Contrarios enim caſus aut certe diverſiſſimos continent, neque adeo ipſi conventioni ſubſunt, aut ſubeſſe intelliguntur, ſed ex naturâ condicionis expreſſæ, cui reluctantur profluunt: Sola *tacita condicio*, eas quas hic innuimus Exceptiones parit, quæ ab eâ nòn aliter diſſident, quàm effectus à cauſâ.

cet. Diſpeſcuit hæc aliter Grotius ubi de interpretatione reſtrictiva agit, deducendo eam ex [15] *voluntatis defectu originario & repugnantia caſus emergentis cum voluntate*: Sed nos præmiſſæ diſtinctioni inſiſtentes eas quas *primi generis* diximus tacitas Exceptiones commode ad duas claſſes redigi arbitramur, cum aliæ ex ipſius pacti, aliæ verò ex rei negociive in pactum deducti natura & affectionibus propendeant, de quibus ſuccinctè ſaltem agamus, cum obviis plerorunque explicationibus ſatis terantur.

Pacti quidem cujuſcunque (laxius enim hanc vocem hic neque ex ſtricta Legum Civilium ſignificatione accipimus) natura quæ exigat, vulgò noſcuntur: [16] Fundamentum eorum imprimis collocatur in conſenſu utriuſque paciſcentium, quo actu ipſo deficiente Exceptio tacita naſcitur: Impedit quidem conſenſum vis & metus, adeoque Jure Civili certo modo Exceptiones generat, ſed quæ ſaltem inter privatos valere poſſunt, qui certæ ſocietatis civilis vinculo Imperioque conſtricti ad-

15. *Grot. l.* 2. 16. *n.* 22.
16. *Ulpian. l.* 1. §. 3. *ff. de pact.*

verſus injuſtam vim metumque à ſuperiori præſidium ſibi & ſecuritatem pollicentur: In pactis vero Regum ac populorum quæ nullo judicii humani reverentiâ ac metu coërcentur, obtinent illa 17 Moraliſtarum Principia, qui conſenſum vi metuque expreſſum ejuſmodi vitio laborare negant, quod inde productæ obligationes vim & efficaciam perimere poſſit, cum vi aut metu coactus, mino malum elegiſſe cenſeatur ad declinandum id quod majus imminebat. Hinc adeo prudenter Grotius 18 omnes hinc ortas exceptiones & diſtinctiones ut merè poſitivi Juris Civilis ad privati fori cancellos remittit. Quanquam hæc ſi metns injuſtè illatus paullò ſecius definienda, 19 Diverſa ratio *erroris* eſt, quippe qui non impedit conſenſum duntaxat, ſed omnimodum ejus defectum arguit, adeoque & obligationem ipſam tacita hinc ortâ exceptione elidit: Nimirum ut effectum illa ſortiatur, requiritur 20 *veritas cogitatio-*

17. *Ariſtot.* 3. *Nicom. c.* 1.
18. *Lib.*2.*c.*11.*n.*7.
19. *Eund. l.* 3.*c.*19.
20. *N.*4. *& imprimis Pufendorf.de I.N. & G.I.* 8.*c.*8.*n.*1.
21. *Grot. l.* 2.*c.* 11.*n.* 2.

tationis pro tempore ſaltem præſenti, non tamen adeo illius rei quæ cauſam pacto dedit, ſed ipſius facti aut rei qui ad ipſam pacti ſubſtantiam concurrunt, & quæ peculiariter ante oculos fuere dum contractum: Quod ſi itaque pactum fundatum ſit in præſumptione facti 21 quod minus ita ſe habet, aut rei quæ ſecus comparata, apparet exceptioni locum eſſe, cum pactum ſub eâ condicione initum cenſeatur, rebus aut facto ita ſe habentibus, ad eundem modum quo Principum reſcriptis hanc ſubeſſe clauſulam vulgò tradunt: *ſi prec- ces veritate nitantur* quam, ut cunque 22 civile jus expreſſam velit, Canones 23 tamen etiam ſubintelligendam ſtatuunt.

Præterea & cum pacti natura æqualitatem onerum commodorumque tum præſtationum invicem deſideret, qualicunque ea tanden proportione dirigatur, etiam hac enormiùs læſâ tacitæ exceptioni certo modo locus: Nam nec Leonina ſocietas efficaciter obligat, nec etiamſi nullo contrahentium dolo, nimia

22. *Id. ib. n. 6. Puſend. elem. Iuriſpr. unio. 1. def.* 12. §. 19.

23. *L.* 7. *C. de diverſ. reſcript. c.* 2. *extr. de reſcript.*

nimia præſtationem inæqualitas: quod eleganter confirmat JC. Exceptio eſt, ait, & [24] *ſi nullus dolus interceſſit, ſed ipſa res in ſe dolum habeat*, unde & Legibus civilibus in id luculenta comparata ſunt remedia.

Denique & tale pactum ex utraque parte implementum poſtulat; Qui enim ex pacto alteri promiſit, non abſolute & gratis, ſed intuitu ejus, quod alter ſe præſtiturum recepit id facere cenſetur: Inde ſingula contractus unius ejuſdemque capita [25] aliis per modum tacitæ condicionis inſunt, quaſi expreſſum eſſet, hoc ita faciam ſi alter faciet quæ promiſit: Unde ſi minus impleat promiſſa alteri etiam citra ullam fidei violationem inde recedere integrum, idque adeo & juris Civilis auctoritate roboratur, quo [26] *cum pro ſocio teneri negatur, qui ante tempus ideo renunciet ſocietati, quia condicio quædam qua ſocietas erat inita ei non præſtatur*: Implendum verò, tantum quantum pacto continetur aut probabiliter contineri cenſendum; Si de eo non liqueat aut ar-

24. *L. 36. ff. de V. O.*
25. *Grot. l. 3. c. 19 n. 4.*
26. *L. 14. ff. pro ſocio.*

arbitrio aut aliâ viâ res definienda, neque interim aut ante exceptioni locus, quàm de voluntate alterius non implendæ condicionis palàm & indubitatò conſtet.

Ad alteram harum, quæ ſunt primi generis Exceptionum claſſem digredior, naturam nempe & affectiones rei ſeu negocii in pactum deducti: Nimirum ſubeſt hæc pacto tacita condicio, niſi in re ipſâ aut facto impedimentum quoddam appareat, quod efficacem obligationem non recipiat; In quo genere ſunt turpia ſive illicita, & impoſſibilia, facti alieni præſtatio, caſus fortuiti & vis major: Et eorum quidem in quibus *turpitudo* aut ſumma ſe injuſtitia exſerit nullam eſſe obligationem [27] tritiſſimum eſt, ut qui ad auxilia mutua tenentur, ad bella palam injuſta obligati non cenſeantur. [28] Sed eorum quæ *impoſſibilia* ſunt non eadem omnium ratio nec idem eſt effectus: Generaliter conſtát hanc ineſſe pactis *tacitam condicionem*, ut res quæ pacto continetur [29] ſit in jure ac poteſtate pro-

27. *Grot. l. 2. c. 11. n. 8; Id. l. 2. c. 15. n. 13.*
28. *Id. l. 2. c. 25. n. 4.*
29. *Grot. l. 2. c. 11. n. 8.*

promittentis, perinde nimirum ut Leges humanæ vim obligandi demum habeant, 30 ſi latæ ſint ad humanum modum, ſi ſint poſſibiles, nec injungant onus quod à ratione & facultate hominis prorſus abhorreat Sed impedimenta illa unde impoſſibilitas oritur, vel *naturalia* ſunt vel *moralia*, exindeque vel *phyſicam* vel *moralem impoſſibilitatem* conſtituunt: Atque *illa* quidem ſi in *ipſa re & conventionis cauſa* in qua Synallagma conſiſtit, deprehendantur prorſus inefficacem reddunt obligationem ipſam; ſecus ſi *in modo ſaltem rei gerendæ:* neſcilicet pacta Regum ac populorum quæ non joco aut animi gratia conſtituta cenſentur frequentius irrita reddantur aut eluſoria: ſed quod ex deprehenſâ heic impoſſibilitate deficeret, alia ratione penſandum, puta aliorum mediorum inventione & applicatione ad ſcopum pacto propoſitum obtinendum adæquatorum: Niſi tamen pactum liquidò pateat ex hac tacitâ condicione pendere *ſi res iſto modo expediri queat*, aut id etiam expreſſe actum. *Moralis* porrò *impoſſibilitas* nullum quidem impedimentum ponit ſuperans agendi efficaciam

30. *Grot. l. 3. c. 23. n 5. Ariſtot. Pol. 2. c 5.*

caciam in voluntate hærentem, ſed tota ab ipſâ voluntate oritur, quæ cùm in pactis indifinita non fuiſſe cenſeatur, certâ velut menſurâ coercetur, cujus collectio exceptionem tacitam generat, qualis illa eſt in quantum *ſalva condicione ac ſtatu potero*: Ita enim qui ſe ad ſuppetias alteri ferendas generaliter adſtrinxit, id ea condicione 31 in quantum vires ejus & domeſtica neceſſitas permiſerint feciſſe creditur, atque ita neſua prorſus periculo exponat: Sic Philippus ad Lacedæmonios: 32 *Ita tamen æquum eſt me veſtra tutari, ne mea interim præſidiis nudentur*: Et affine huic eſt quod Canoniſtæ aſſerunt, *liberari nos ab obligatione obmagnam aliquam difficultatem, quæ impoſſibilitati æquiparetur.* 33 Neque tamen heic perinde ſemper omnis eſſectus obligationis prorſus expirat: Ineſt enim pacto plerumque non ſimplex illa condicio, *ſi res fieri pararive queat*, ſed alternativa potius ut, *ſi parari nequeat aliquid promiſſo reſpondens & æquum valens deberi* in-

31. *Martin. Laudenſ. tract. de Confæd. Princ. qu.* 4.
32. *Liv lib.* 31. *c.* 25.
33. *Dd. in C.* 17. *x. de Iurejur. Panormit. ib. num.* 4.

intelligatur; Cum hic primò quidem & directò ſpectetur res pacto expreſſa, indirectò autem aliud quoddam bonum, quanti erat illud quod pacto continebatur. 34 Unde nihilominus promiſſor, 35 ad æſtimationem rei præſtandam aut id quanti intereſt, aut denique ad remittendum illud, quod in mutuâ præſtatione ipſi reſpondebat obligatus manet. Secus tamen, ſi aliter actum eſſe disertè conſtet.

Quod ſi ex alterâ tantum parte impoſſibilitas ſit, an perinde & ex adverſo alterius corruet obligatio? Durius id videretur, quod utrinque ſub hâc condicione contractum cenſeatur, 36 *ſi res fieri poſſit*; atque adeo pacta ſecundum *Hobbeſium* exiſtimentur non ad rem ipſam ſed ad ſummum ſaltem conatum obligare, ut qui hunc præſtiterit obligationi ſuæ ſatisfeciſſe credendus ſit, nec adeo ſi effectu careat, alterum perinde liberari: Cæterum ſubvertit fundamentum hoc *Puſendorſius*; 37 Atque ita quidem hactenus is, qui ſummum cona-

34. *Puſendorf. elem. juriſp. univerſ.* 1. *def.* 12. §. 32.
35. *Grot lib.* 3, *c* 20. *n.* 27.
36. *De Cive c.* 2 §. 14.
37. *De I. N. & G. lib.* 5. *c.* 7. §. 14.

conatum & quod vires admittunt præſtat, obligatione ſua defunctus, ut à culpâ perfidiæ & non ſecuti implementi pœnâ immunis habendus ſit, in futurum tamen alteram partem nec ſibi obligatam tenet, cum perpetua ſubſit condicio, ſi alter impleverit quod promiſit, quæ ſimpliciter accipitur nullo reſpectu habito ex quo principio defectus implementi ex alterâ parte ortus, ſive id culpâ ſive caſu, ſive impoſſibilitate ſive alio quovis legitimo & inevitabili impedimento contigerit.

Facti porro *alieni præſtatio* ſub condicione tacita poſſibilitatis promiſſa cenſetur: Sed nec id ſimpliciter: Irrita prorſus & inutilis ea eſt obligatio, quâ alterum in quo nihil mihi juris præter ejus ſcientiam ac conſenſum aliquid facturum præſtiturumve ſimpliciter recipio: *Præſtari nihil*, inquit *Cicero*, *poteſt quod ſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine*[38]: cujus generis ſtipulationes & jure iccirco Romano [39] inutiles habentur: Alia ejus obligationis ratio eſt, quæ ſæpius in pactis Regum popu-

38. *Ad fam. l. 9. epiſt. 6.*
39. *§. 16. Inſt. de inutil. ſtip. l. 38 pr. 83. ff. de V. O. l. 65. ff. de fidejuſſorib.*

populorumque occurrit, quâ *ſe curaturos facturoſque* ut quid ab aliis præſtetur ſpondent: quæ non tam eſt de facto alieno quam de ſuo proprioque promiſſio: Sed an hic tacita poſſibilitatis condicio ſubeſt, in id, ut & non ſecuto implemento à præſtatione ejus quanti intereſt liberet? Dependent hæc ferè ex iis, quæ de impoſſibilibus naturâ & morali æſtimatione diximus; ſi enim tale ſit objectum pacti, quod nec curari fierive poſſit, ex impoſſibilitate rei naturæque ejus inhærenti protinùs exſpirat obligatio; Quod ſi id ſaltèm ex obſtaculo quodam extrinſecus advenienti ſummæ difficultati obnoxium, non perinde à præſtatione ejus quod intereſt liberari poſſe promittentem apparet, quandoquidem id præſtari ex naturâ pacti inter contrahentes actum videtur; quomodo etiam in omnibus quas dicunt *faciendi obligationibus* quæ ſunt ejuſdem natura id juri Romano [40] receptum: Secus tamev erit ſi expreſſe de ſummâ ſaltèm curâ operâque promiſit, aut id promiſſum duntaxat ex nego-

40. *Vid. l.* 13. §. 1. *ff. de re judic. l.* 68. *l.* 72. *l.* 112. §. 1. *l.* 113. *f. de V.O. l. ult. ff. ſi quis in jus voc.*

negocii naturâ & voluntate paciſcentium liquido appareſcat, aut denique ſynallagma ipſum pacti non ingrediatur, ſed velut ſit acceſſorium quoddam ſine quo illud ſubſiſtit: tum enim has solùm, curam ſcil & operam enixiſſimam, nec ipſam adeo factum præſtare tenebitur, atque ita ſi ex ſuâ parte nihil intermiſerit, tertius tamen facere abnuat, ad id, quod intereſt haud quicquam obligatus cenſetur. Paullò aliter circa hanc quæſtionem incedunt *Grotius* [41] & *Puſendorfius*. [42]

Denique & ex harum Exceptionum cenſu ſunt, quæ ex *caſu fortuito & Vi majori ſuperveniente* oriuntur: ſi enim hæc nulla promiſſoris præcedente culpa aut præſtandi motâ contigerint, vulgatiſſimi juris eſt, eum liberari, e. g. Qui copias auxiliares aut claſſem in ſubſidium promiſit, ſi illæ aut morbo epidemico aut quo alio caſu affligantur, hæc vero vi ventorum ac tempeſtatibus diſiecta, non compareant præſtituto termino, aut prorſus pereant, non ulteriùs tenebitur promiſſor, niſi nova præcedente pacti cauſâ: Quæ ta-

41. *Lib.2.c.11. num.ult.*
42. *Lib.3. de I.N. & G. c.7* §.10.

tamen omnia modum capiunt ex eo quatenus culpa quædam imputari queat promiſſori, cui argumento lucem imprimis fœnerari poſſunt quæ eleganter philoſophatur more ſuo Ulpianus *in l. 2. §. 8. ff. ſi quis in cautionib. in judic.*

Nunc ad ſecundi generis exceptiones tacitas explorandas accingimur, quæ quidem oriuntur ex condicionibus, non æque directò aut naturaliter conventioni inexiſtentibus; ſed ex ſuppoſitione ſaltem, quatenus ex mentis ac paciſcentium voluntatis juſtâ & legitimâ conjecturâ eliciuntur. Inde adeò & à prioribus effectu ipſo differunt, ad eum ſcilicet modum, quo diſcernitur [42] *diſpenſatio ab interpretatione eà quæ ſit ſecundum æquitatem*, cum per hanc obligatio Legis non tollatur aut relaxetur, ſed declaretur per ſe ipſam ceſſare, per illam verò Lex alioquin obligatura relaxetur: aut uti Jure Conſulti aliam [43] obligationem *ſubtilitate quidem juris ligare*, *ſed exceptione oppoſita elidi*, aliam vero ipſo jure exſtingui tradunt.

Prin-

43. *Grot. l. 2. c. 20 n. 27. Albert. Bolognet de Legib. c. 32. n. 22. 23.*
44. *L. 36. ff de V. O.*

Principio igitur in concipiendis quæ utriuſque partis conſenſu liberrimo deliberatoque ineuntur pactis, præſentem imprimis rerum ſtatum ob oculos paciſcentibus haberi intelligendum, & ſecundum earum condicionem pacti Leges & articulos formari, deſignarique, quibus tamen & nonnunquam circa futuros caſus & eventuum incerta liquidò determinari ſolet: Cum autem ea ferè negociorum rerumque Civilium ratio ſit, ut variis obnoxia vicibus multiplicique eventuum ac circumſtantiarum contingentiâ pervertantur, & aliam prorſus in formam deſciſcant, inde & quibus illa ordinantur ac diriguntur diſpoſitiones ex ſubjecti ſui mutabilitate, temperamentum ac moderationem recipere omninò ſtatuendum eſt; cum cæteroquin ſi pactorum rigori ſtandum eſſet, ſumma ſeſe iniquitas & diſconvenientia cum rectâ & rationabili ſocietatum omnium, conventionum ac imprimis negociorum civilium menſurâ ac indole exſereret. Quibus ut ipſa pactorum natura refragatur, impeditque, quò minus eum in modum initio contrahi queat, ita emergente ex poſt facto illo rerum habitu, obligatio-

nem

nem illam alio remedio ſubmoveri neceſſum eſt, hâc nimirum exceptione, quod ſub hâc vel illâ tacitâ condicione pactum initiò conceptum fuiſſe intelligendum ſit: atque hoc eſt quod ait Grotius 44 *quia caſus nec prævideri omnes exprimi poſſint, ideò libertate quâdam opus eſſe eximendl caſus, quos qui locutus eſſet ſi adeſſet eximeret.* Hoc enim non ſaltem de exemptione ſpecialis cujuſdam caſus ad obligatione pacti, ſed & de integrâ pacti cauſâ ejuſdemque liberatione aut diſſolutione accipiendum. Scilicet uti principium contractus ex liberrimo paciſcentium arbitrio ortum traxit, ita eam non cenſentur abdicaſſe libertatem quin tacitè potius retinuiſſe ſibi ejuſmodi in caſibus, & eâ rerum facie emergente, quæ â primâ regulâ illius ſubjecti quod pacto ſubeſt deerrant & enormius quiddam præferunt præter voluntatem, mentem ac cogitationem paciſcentium: Abſurdum enim foret dicere ita coërcitam voluntatem quæ nec ab æquitatis Lege ullum moderamen reciperet. Sed in cæteris quidem pactis publicis hanc adeo ſubeſſe libertatem dubio vacat; An vero ea

44. *Lib.* 2. *c.* 16. *n.* 26.

ea & ad contractus ſuperiorum cum ſubditis, quo ſcilicet in certas imperii Leges conſentiunt ſit extendenda? Hos quidem pacti naturam ſapere indubitatum eſt & oſtendit etiam apud nos manifeſtò Receſſuum Capitulationumque imperii conſveta formula: Unde & ex ejus natura implementum ex utrâque parte exigitur: Quo reſpectu à Proteſtantibus Carolo V. Imp. A. 1545. objectum legimus: 45 *fœderibus publicis & privatis cum Cæſar excipitur, ita exceptum intelligi, ſi poteſtate ſuâ minimè* abutatur, *ſi nihil contra religionem, nihil contrà libertatem moliatur*. Delicatius argumentum quàm quòd obiter contrectari debeat, quippe in re tanti momenti arbitrariæ exceptiones, & remotius educta argumenta locum non habent: 46 Certè quæ Impera torum exempla dignitate ſuâ iſto prætextu privatorum, irreverentiùs urget profeſſus Auſtriacæ fortunæ hoſtis, 47 parum ad rem faciunt: Ut enim Heinrici IV. deſtitutio per factionem Pontificiam conflata, & Heinrici V. eventu caruit,

45. *Thuau. l. 2. p. 94.*
46. *Bœcler. ad Grot. de I. B. & P. p. 290.*
47. *Hipp. à Lapid. part. 1. c. 3. ſect. 2.*

ruit, Adolfi etiam injuſtiſſima, nec famoſiſſima illa Wenceſlai Legibus conformis fuit multis depoſitum pro Imperatore agnoſcentibus, 48 ita hinc nulla juris ſpecies aut imago extorqueri poterit; certè Grotius 49 eâ cautione hic procedit, ut ad auctoritatem ejus exceptionis tacitæ præſupponat, ut in delatione imperii expreſſe aliquid dictum ſit certo eventu reſiſti poſſe: De quo proinde circà tractatus pacis univerſalis tum etiam noviſſimæ Capitulationis fabricam, nonnihil agitatum fuiſſe, eorum negociorum acta teſtantur.

Poſtquam autem ejuſmodi exceptiones admittendas ſatis expeditum, intricatius longè earum fontes, aut certum numerum deſignare: Infinitæ enim ſeſe ex multitudine circumſtantiarum circa negotia publica incidentium exſerunt: Et hic quidem campus eſt, in quo ſe maſculè exercuit civilium miniſtrorum ſolertia, quæ dum in verſo ordine conſiliorum ſeriem à contemplatione utilis inchoat, ejus illecebris faſcinata confeſtim ad illud exceptionum latifundium procurrit, & decerptis inde

48. *Dinterus l.6. c.38.*
49. *Lib.1. c.4. n.14.*

inde quæ proximam ſuæ cauſæ ſpeciem præferre videntur, aſtutè quidem, ſed parum ingenuè ad comparanda conatibus ac propoſito lenocinia abutuntur: Ita nempe nihil facilius quam patello operculum reperire, & ſceleratiſſima quæque meditamenta ſpecioſis tegumentis exornare; ſed hæc quidem apud eos precium invenient, aut ad amoliendam facti invidiam valebunt, qui externis capti præſtigiis interiora rerum non pervident, & quàm

—— Medio de fonte leporum
Surgat amari aliquid: ——

Juſtitiam nimirum aut iniquitatem, bonitatem aut maliciam moralem actionibus inhærentem, illi ad vaga ſaltem lubricaque aut peregrina propemodum principa exigunt, nec ad ipſas eorum ſedes, unde hæc elicienda erant, penetrant:

Ad inveſtiganda autem & diſcernenda vera & genuina harum exceptionum fundamenta propriam virtutem [50] Ariſtoteles collocat, in intellectu quidem εὐγνωμοσύνην, quæ ipſi definitur [51] ἡ τοῦ ἐπιεικοῦς ἐπίκρισις ὀρθή. ſeu æqui recta

51. *Vid. Grot. l.2. c.16. n.26.*
52. *Ariſt. Eth. Nic, l.6. c.11.*

recta dijudicatio; in voluntate verò ἐπιείκειαν ſeu æquitatem, quæ eſt correctio ejus, in quo diſpoſitio deficit ob univerſalitatem.

Secundum hæc in genere principem harum Exceptionum fontem, unde nimirum velut rivuli illæ ſcaturiunt, in iſtâ circa ſubjectum pacti & perſonas paciſcentium evenientes immutationes indagandum eſſe manifeſtum eſt, quod omnes ferè quæ hujus generis ſunt, eò redeant, ut ex enumeratione etiam ſingulari quarumvis inferius elucebit: Inde adeo vulgatum illud quo velut intercalari carmine uti videas Jureconſultos natum, *quod in omni diſpoſitione ſubintelligatur clauſula REBUS SIC STANTIBUS*: cui illuſtrandæ confirmandæque facit locus Senecæ: [53] *Non mutat ſapiens conſilium omnibus hiſce manentibus quæ erant, cum ſumeret, ideo, nullum unquam pœnitentia ſubit, quia nihil melius eo tempore fieri poſſit, quam quod factum eſt, nihil melius conſtitui quam quod conſtitutum eſt: Cæterum ad omnia cum exceptione venit, ſi nihil impediat*; & paullo poſt: *Tum fidem fallam, tunc inconſtantiæ crimen audiam*,

53. *Lib. 4. de benef. ante fin.*

diam, ſi cum omnia eadem ſint quæ erant promittente me non præſtitero promiſſum, adeoque quicquid mutatur libertatem facit de integro conſulendi & meam fidem liberat: Promiſi advocationem, poſtea apparuit præjudicium per illam cauſam in patrem meum quæri; promiſi me peregre una iturum, ſed iter infeſtari latrociniis nunciatur: In rem præſentem venturus fui, ſed æger filius, ſed puerpera uxor tenet; Omnia debent eſſe eadem quæ fuerunt cum promitterem ut promittentis fidem teneam. Idem etiam alibi: [54] *Ad cænam promiſi, ibo etiamſi frigus erit; ſurgam ad ſponſalia, quia promiſi quamvis non concoxerim, ſed non ſi febricitavero, ad ſponſum deſcendam quia promiſi: Sed non ſi ſpondere in incertum jubebis, ſi fiſco obligabis: Subeſt, inquam, tacita exceptio, ſi potero, ſi debebo, ſi hæc ita erunt; Effice ut idem ſtatus ſit cum exigitur, qui fuit cum promitterem, deſtituere levitas non erit, ſi aliquid intervenerit novi, quid miraris, cum conditio promittentis mutata ſit; mutatum eſſe conſilium, eadem mihi omnia præſta, & idem ſum: Vadimonium promittimus, tamen deſeritur; non in omnes datur actio,*

I 2 de-

54. *Ibid. cap.* 39.

deſerentem vis major excuſat : Atque ejus æquitatis clauſulæque inexiſtentis veſtigia in [55] Legibus Romanis etiam invenias licet luculentiſſima, & paſſim fere inſigniter hoc effugio utuntur ejus juris interpretes. Ante verò quam pullulantes hinc diverſæ ſpeciei diverſiſſimiſque ex circumſtantiis Exceptiones percenſeamus, non ingratum fore arbitror quaſdam inſigniores Politicorum ſuggeſtiones hic deguſtare :

Atque adeo cum ex illâ parte conſtet, quanti meritò fœderum fideique religio habenda ſit, hinc verò etiam pateat, quam facili momento rerum ſtatum immutari contingat, eorum imprimis ſuſpicienda & in exemplum proponenda meritò prudentia, qui non temerè nec immaturo conſilio ad fœdera & pacta proruunt ; ne pari levitate ocyùs iterum diſcedere opus ſit :

[56] Rhodiorum in hoc commendatur exemplum, qui per 140. annos nullum cum Romanis fœdus percuſſerant, quanquam diverſa ipſis auxilia miſiſſent ;

55. *Vid. l.54. §.1. ff. locati. l.38. pr. ff. de ſolut. l.8. ff. de condict. cauſ. dat. l.137. §.6. ff. de V.O. l.14. ff. pro ſocio.*

56. *Polyb. excerpt. Legat. 93. c. 6.*

ſent; Idque ex hac ſolertiſſima ratione: *quia cum nulli Regum ſpem auxilii ſocietatiſque ſuæ abſcindere vellent, arctius ſe cum quopiam copulare & libertatem ſibi Jurejurando aut pactis præripere nolebant, ſed omnia ſibi ſervantes integra ſpes ſingulorum lucrari.* Cautè quidem & religioſè; Secus ac illi qui dum fugitivam quandam utilitatem impenſiùs aucupantur, inque id ſocietates ſpecioſè compingunt, eâ mox interceptâ aut evaneſcente, fidem ſimul, exiſtimationem & vera reipubl. ſuæ commoda produnt: Procul etiam à perfidiâ ac fraude eorum abeſt ſolertia,ut etiam inter ſingularis exempla prudentiæ referatur, qui diligenter ante inſpectâ ejus cum quo paſciſcuntur condicione, tum oborituris hinc inde ſervando exactè fœderi difficultatibus cognitis, ſolertiſſimè quidem inde ſua norunt comparare compendia, periculis tamen commodiſque ex conſtantiâ & fide pactorum prominentibus etiam citra ullum honoris & minus ſervatæ fidei opprobrium ſe ſubducere: Id quod provenit ex prævisâ & benè præmeditatâ negotiorum civilium ex ſeſe invicem propendentium ſerie, ſecuturiſque rerum

nexubus, unde ſæpius honeſtæ patent è fœdere perceptâ etiam utilitate ſeſe extricandi occaſiones.

[57] Subtilis ejus elegantiæ inſigne nobis exemplum traditur in Henrico VII. Angliæ Rege, qui à Maximiliano Romanorum & Ferdinando Hiſpaniæ Rege in ſocietatem adverſus Gallum compellatus, in hoc anceps hærebat bivio, quomodo inde ſibi acquireret commodum, & honeſto æque titulo iterum imminente periculo diſcederet: *Rex*, inquit hiſtoricus, *cum difficultates belli & incommoda rectè perpendiſſet, ſecum animo volvebat quâ tandem ratione duo quæ expetebat obtinere poſſet: Primum erat, quomodo ex bello denunciato & inchoato utilitati ſuæ inſerviret, quomodo ſe à bello cum opportunum foret ſalvo honore ſubduceret: Utilitatem & emolumentum duobus modis aucupabatur, à ſubditis ſuis propter bellum, ab hoſtibus propter pacem: tanquam mercator prudens, qui lucrum facit tam ex mercibus exportandis quam importatis: Quantum vero ad honoris conſiderationem ne fama ſua paullò ad metas hæreret ſi à bello deſiſteret, rectè ſecum*

57. *Franciſc. Bac. de Verulam in hiſtor. de Henr. VII. Angl. R. p.* 84.

ſecum agitabat , quod ſicut auxiliis Ferdinandi & Maximiliani fidere ſecurè non poſſet ad belligerandum , ita alterius impotentiam , alterius duplicitatem præſtò habiturus eſſet ad pacem excuſandam; Hæc omnia prudentiſſimè prævidit nec minus artificioſè exſecutus eſt: unde omnia ex voto velut in gremium ejus delapſa ſunt.

Severiorem verò notam merentur eorum actus , qui ſeſe invicem imagine fœderum pactorumque deludunt, & ſub ipſis eorum ſanctiſſimè oſtentatis tractatibus nihil minus quam de iis ſervandis cogitant , tempori velificantes & fidem ſimulata modeſtia & callidis vaframentis incruſtantes: de quibus graviter monebat Cicero: [58] *Alia dicere ſolent qui in conatu & molitione rerum occupantur, alia facere, poſtquam res confecta eſt. Nam ut potiantur voto omnia fingunt ſimulantque , potiti autem nihil non ex animi lubidine gerunt.* Finitima hiſce eorum habetur verſutia , qui callido quodam ſubtilique artificio ipſam rei , de quâ diſpoſitum , naturam & condicionem immutant , quò inde ſibi dilabendi prætextus conquirant: Perinde

I 4 at-

58. *Ap. Dion. Caſſ. l 45. p.328.*

atque illi, qui ut Legum auctoritatem infirmarent, re cui applicanda erat in alium ſtatum redactâ, deludebant, & hinc tacitam verſutè effingebant exceptionem: ſic de triumviris narratur quod inter alia, quæ contra jus & æquum acta ſunt, [59] *puerum quendam togam virilem ſumere juſſerint, ut tanquam vir ab ipſis poſſet occidi*: Sic & Tiberius [60] *cum vetere SC. quæſtio in caput Domini prohiberetur, mancipari ſingulos actori publico jubebat*; eumque iccircò *callidum & novi juris repertorem* Tacitus dixit. Geminum fermè his Batavorum erat conſilium, qui cum protectionem ſibi ab Angliæ Reginâ pacti erant, ut Legato ipſius Conſilio ſtatus in quo ſecretiora tractabantur intereſſe liceret conſentiebant; Poſtea id ſibi noxium rati ſanctius quoddam inſtituere conſilium, ut hoc prætextu, ceu de eo minus conveniſſet, inde arceretur Legatus.

Cæterum hæc & ſimilia malitioſa callidæ ſubdolæque pravitatis commenta pugnant 1. cum naturâ pacti, quæ conventionem i. e. ſincerum ſimpli-

59. *Idem l.47.p.376.*
60. *Tacit. ann.2.c.30.n.5.*

pli cemque utrinque conſenſum præſupponit, 2. cum naturâ fidei, quæ ejuſmodi inſidias & machinationes repudiat, 3. cum religione jurisjurandi, cujus ſinceritas calliditate prorſus nullâ corrumpenda eſt, 4. cum firmitudine pacti: [61] *Vult* enim *quiſque ſibi credi & habita fides ipſam plerumque obligat fidem.* 5. denique cum auctoritate ſceptrorum, quæ generoſo potius paciſcendi propoſito, quam artibus eludendi æſtimanda tuendaque:

Adferenda autem fuerunt, ut conſtaret, quantum ad conciliandam *Exceptionibus tacitis* æquitatem & juſtitiam conferat, ſi ſeria in contrahendo paciſcentium ſtudia& voluntates minùs fictæ nec ſimulatæ ſint, ipſumque adeo pacti fundamentum firmo ſinceræ conſtantiſque voluntatis propoſito inſiſtat, quippe cum ſingularis publicis magniſque pactionibus ſimplicitas ſanctitaſque fidei debeatur: Hæc ſi occulta tabe laborent, ipſum pacti principium veneno velut imbuunt, cujus contagio ad quæcunque inde oborta negocia porrigitur, ut quod pravè coaluit, peſſimè tandem arreptis exceptionibus quibuſcunque diſtrahatur. I 5 Se-

61. *Liv. l.22. c.22.*

Secundum hæc ad indagandam penitius harum Exceptionum æquitatem certis eas principiis fulciri opus, tum ut de firmitudine earum conſtet, tum ne vaga velut extra orbitas exerrent, & ceu obvium cuivis libidini patrocinium expoſitum proſtent. Naturale igitur eſt obligationem eo modo ſolvi, quo coaluit; Sic quæ conſenſu conſtituta ſunt, pacta, mutuus diſſenſus tollit; Uti verò nec is ſemper expreſſus requiritur & formalis conſenſus, cum ſæpè ſufficiat virtualis, cujuſmodi exempla jus civile in redditione chirographi, illatione rerum in conductum prædium urbanum, & compluribus aliis ſuppeditat; ita nihil officit, quò minùs ex eâdem ratione & diſſenſum tacitè intervenientem naturaliter vinculum obligationis diſtrahere dicamus: Et de diſſenſu quidem mutuo ſi is in idem concurrat, dubio ferè vacat; ſed cum frequentiùs altera pars inſiſtat juri ſuo ex pactis quæſito, dum alter inde diſcedere nititur, ferè eſt ut dicamus hic non ſubeſſe diſſenſum, ſolvendæ obligationi validum: Adverſus hæc igitur advertendum, quod diſſenſus hic ex naturali æquitate in pactis publicis non ſecundum actualem

lem interventum ab utrâque parte, ſed potius ſecundum inexiſtentiam moraliter conſideratam explorandus ſit: num ſcilicet is, qui ex unâ parte emergit diſſenſus, tale habeat principium ac fundamentum, ut ſi id in alteram partem etiam incideret, ibidem pariter eundem diſſenſum eſſet excitaturum: Id ſi deprehendatur, ſubſtruit diſſenſui unius partis juſtitiam, ex eo communi principio, quod jubet nec in altero iniquum putare, quod quis ſibi æquum arbitraturus eſſet. Atque hoc primum eſt fundamentum. Deinde etiam opus ut talis rei, ex quâ diſſenſus pullulat, natura ſit, ut expreſſè pateat, nihil de eâ paciſcentium voluntatem definiviſſe, adeoque nec pacti vim ad eum caſum aut in eum eventum velut incogitatum, ac præter omnem exſpectationem incidentem porrigi: Ita nempe ipſo obligationis principio deficiente, & ex alterâ parte repugnantia voluntatis cum caſu emergente obortâ, neceſſe eſt libertatem diſſentiendi hic integram eſſe exiſtimari, quo refertur Jureconſultorum axioma: *Actus humanos non operari ultra eorum intentionem.* Denique opus etiam ut diſſenſus oriatur ex principio quodam

pacti

pacti deſtructivo, ut nimirum ſi eâ ratione pacto ſtandum foret, omnia potius alia & abſurdiſſima inde naſcerentur, quàm quæ in intentione paciſcentium erant. Ulterius obſervandum, principia moralia ex quibus actionum æſtimanda venit juſtitia, ſæpius ita eſſe comparata, ut non poſſint ſimpliciter facto emergenti applicari: Nimirum, habent ſibi è regione oppoſitum aliud principium æquè validum quod diverſum ſuadet, e. g. *Depoſitum eſt reddendum.*: ex alterâ parte, *non eſt cuiquam ſuppeditandum quo patriam aut bonum publicum indubitatò læſurus ſit*: Hæc nimirum principia, ſi in uno eodemque ſubjecto ſimul applicanda veniant, collidere videntur, ut ſi is qui depoſuit, bellum machinetur patriæ, quod illud quidem principium *reddere depoſitum* ſimpliciter jubebat, hoc diſſuadet. Atque hinc adeò iterum *exceptionis tacitæ* fons ſeſe exſerit, qui ex illa colliſione duorum principiorum oritur. Et hoc eſt quod Philoſophi ajunt & prolixius demonſtrant, eſſe *jus juſto melius*: [62] id quod non adeo contingit ex incertitu-

62 *Ariſt. Eth. 5. c. 14. Leſſius de juſt. & j. l. 2. c. 27. d. 5. n. 20.*

titudine quâdam ipſorum principiorum moralium, ſed potius *ſubjecti* vitio cui attemperanda ſunt; ſi enim id tale quod ſecundum ſuas circumſtantias ritè æſtimatum non ſimpliciter ſub unam regulam cadit,accerſendæ pariter ex circumſtantiarum emergentium neceſſitate & aliæ, eæque inter ſe conferendæ ponderandæque, ut deinde ex quo imprimis principio de illo ſubjecto incidente ſtatuendum ſit, pateſcat: Atque hæc quidem fundamenta diſſenſui tacito, atque inde orientibus tacitis Exceptionibus ſubſtituiſſe, & ad eorum normam harum uſque æquitatem aut iniquitatem exegiſſe omninò intererit:

Jam verò exempla Exceptionum particulatim inquirentibus, generalis illa, quam diſpoſitionibus ineſſe oſtendimus, clauſula *rebus ſic ſtantibus*, nobis ea indigetabit: ut enim ad eas exceptiones confugiendum ſit, cauſas & occaſiones immutatio ſtatus præfert: Hanc verò quæ inferunt potiſſima ac præcipua ſunt, 1. Supervenientia novæ cauſæ, 2. Si res in eum ſtatum deducta ſit, unde incipere nequeat, 3. Ceſſatio rationis, 4. Denique utilitas ac neceſſitas Reip. quam ſub vocabulo *Ra-*

Rationis ſtatus venditare ſolent Politicorum filii: De ſingulis altiùs paullò quanquam ſuccinctè inquirendum.

Quantum 1. Ad *ſupervenientiam novæ cauſæ*, ſiquidem exceptioni tacitæ validæ generandæ efficax eſſe debeat, talis ea ſit oportet, de qua paciſcentibus non cogitatum, quam nec ipſorum animis concepti pacti tempore obverſari potuiſſe certum ſit; tum ut diſſenſum eum, quem oſtendimus, liquidò involvat, atque adeo ipſum infirmet pacti, quo nitebatur obligatio, principium, aut id prorſus etiam deſtruat, aut denique ut ejus naturæ ſit de quo nihil appareat determinatum neque mente neque intentione contrahentium, ac proinde nova & ſpeciali diſpoſitione indigeat: Æquitatem hanc multis nobis exemplis inſinuant Leges Romanæ, ut in avo qui filium ac nepotem ex altero filio heredes inſtituerat, à nepote petiit ut ſi intra 30. annum moreretur, hereditatem patruo ſuo reſtitueret, nepos liberis relictis vitâ deceſſit, *fideicommiſſi condicionem ait Jureconſultus conjecturâ pietatis defeciſſe, quod minus ſcriptum quàm dictum fuerat invenitur.*

62. *L.* 102. *ff. de condit. & demonſtr.*

tur. Ita commodatum revocare licebit ſi ea ſuperveniat cauſa ut ipſe commodator indigeat: Et ſi quis alteri partem bonorum ſuorum donans pœnâ certâ adjectâ promiſiſſet non revocaturum ſe donationem, ſuſceptis tamen poſtea liberis, licitè donationem revocabit. [63] Qui fidejuſſores accepit ſi medio tempore calamitas inſignis vel magna inopia iis accidit, cauſâ cognitâ ex integro ſatiſdationem rectè poſtulat. [64] Sic qui ſe Procuratorem judicialiter conſtitui paſſus, poterit retactare ſi inimicitiæ capitales cum Domino intervenerint.[65] Et tutor à Patre datus ſine inquiſitione confirmatur; niſi tamen cauſa propter quam datus in eo mutata ſit, velut ſi ex amico inimicus, ex divite pauperior factus. [66] Atque hæc omnia ex naturali illa ratione juris æquitatiſque quâ obligatio quæ ex diſpoſitione humanâ profluit, vim ſuam capit ex contemplatione rei qualis erat tum temporis cum contraheretur, unde illud tritum Dd. ortum, *quæ de novo emergunt*, *novo* *au-*

63. *L. 8. Cod. de revoc. donat. & ad eam integr. tract. Tiraquell.*
64. *L. 10. ff. qui ſatiſd. cog.*
65. *L. 8. §. 3. ff. de Procurat.*
66. *L. 4. ff. de teſtam. tutel.*

auxilio indigent. [67] Ex iiſdem adeo principiis profluit quod qui auxilia ſibi invicem pacti, non teneantur, ſi hoſtis ex inſperato irruat, & domi copiis opus ſit, potiorem quippe cauſam ſuæ Reip. tacitè cenſentur excepiſſe. Et quorum fœdere *de mutuis hoſtibus non juvandis* cautum, non arcentur à recipiendis in tutelam ac protectionem, ſi qui ſe dedunt alteri, quanquam ab altero bello impetantur [68] Ita cum Campani primum Romanos adverſus Samnites, quibus cum hi in fœdere erant auxilia rogarent, & ſuam quoque ſocietatem ac amicitiam offerrent, multa quidem inde Romanis emolumenta apparebant, ſed *hactenus utilitate fides antiquior erat*, *& ita* dicebant *inſtitui amicitiam par eſſe, ne qua vetuſtior amicitia violetur*, at ubi poſtea ſe ſuaque omnia Romanis dediſſent; *tum demum jam fides agi viſa deditos non prodi, nec facturum æqua Samnitium populum cenſebant, ſi agrum urbemque per deditionem P. R. factam oppugnarent.* Eundem nimirum colorem inducere quidem conata ſuſceptæ Batavorum protectioni adverſus Hi-

67. *L.* 11. §. 1. *ff. de interrogat. in jure faciend.*
68. *Liv. l.* 7. *c.* 30.

Hiſpaniæ Regem Eliſabetha, ſed alia videtur per duellium (quales tum temporis habebantur Batavi) eſſe ratio, alia hoſtium ac illorum quidem cauſa & defenſio ex aliis prorſus principiis pendet. Porrò etiam hinc eſt quod in pacto renunciationis, quo omne jus abdicatur quod vel habet quis vel habere ſperat, hactenus quidem illi caſus continentur, qui prævideri poterant, & de quibus probabiliter cogitatum, minus verò illi qui renunciationis tempore neque in re neque in ſpe fuere, de quibus nec cogitari potuit; Cujuſmodi proinde cauſa ſi emergat, exceptio tacita adverſus illam renunciationem valebit. [69] Tum præter ea & pacta quævis *de non offendendo* intelliguntur hâc tacita condicione, niſi cauſam novam alter det offenſioni: [70] unde ſi & alter vim prior inferat, juſta omninò eſt defenſio & quæ ex illâ ſequitur offendendi ex occaſione libertas: in quam ſententiam meritò Perſeus quondam: *Si eſt in fœdere ita ſcriptum, ut ne ſi bellum qui-*

69. *Vid: Andr. Dinner. de interpret. contract. concluſ.* 5. *n.*10.

70. *L.*53. §. 3. *ff. de Leg.* 1. *l.*96. & *l.*132. *verſ. quid ergo. ff. d. V. O. l.* 24. §. *fin. ff. de pign. act.*

quidem quis inferat tueri me regnumque meum liceat, mihi fatendum eſt quod ſi me adverſus ſocium P. R. defenderim, fœdus eſſe violatum: ſi autem hoc ex fœdere licuit, & jure Gentium ita comparatum eſt ut arma armis propulſentur, quid tandem facere me decuit, cum Abrypolis fines regni mei pervaſtaſſet, multa libera capita, multa millia pecorum abegiſſet, quieſcerem & paterer donec in regnum meum armatus perveniſſet? Imprimis verò heîc advertendum, utrum illa ſuperveniens cauſa, nova prorſus ſit, an ex veteri orta de qua in pacto aut fœdere cautum: ſi enim nova cauſa incidat, offendens quidem violaſſe pacem cenſendus, non tamen eo pœnam tranſactioni pacis adjectam inque capitulis pacis comprehenſam incurrit, ſalutari hac *ſupervenientis novæ cauſæ & de rebus ſic ſtantibus* clauſula ſecurus. [72] Tum præterea & in iis quæ ex veteri cauſâ pacto comprehenſa oriuntur, [73] ſponſorum intercedit officium, & eorum qui guarantiam pacti in ſe recepere; Secus vero in novâ, quæ cum in

72. *Vid. Dd. quos citat Dinnerus de interpr. d. concl. 5. n. 3.*

73. *Pufendorf. de I. N. & G. l. 8. c. 8. n. ult.*

in fœderis tenorem non incurrat, nec adeo ad guarantiam pertinet, cujus quæſtionis momenta hinc inde publicis nuperè in Comitiis excuſſa fuere in controverſiâ de Circulo Burgundico, Rege Galliæ jurium ſuorum aſſertionem & vindicias à compaciſcentibus pacis Weſtphalicæ exigente.

Vicina huic eſt altera *Exceptio, ſi res in eum caſum devenerit, unde incipere nequeat:* Fluit enim hæc ex iiſdem principiis, dependetque vel ex *re ipſa* in pactum deducta vel *perſonis paciſcentium*: Res ipſa ſcilicet uti initiò talis eſſe debuit, quàm natura pacti admitteret, ita ſi ex ſuperveniente poſtmodum caſu in eum ſtatum incidat, quam pacti ingenium prorſus reſpuit, exceptioni tacitæ locus. Jus civile ejus exempla ſuppeditat in re profanâ, ſi ſacra eſſe cœperit, re privata ſi publici juris, quæ licet initiò utiliter in ſtipulatum deductæ, ſi tamen poſtea in eam cauſam ſine [74] facto promiſſoris devenerint, ſtipulatio exſtinguitur. In quibus dignoſcendis ſcilicet ſemper [75] diſtinguendum utrum caſu fortuito & citra cul-

74. *Vid. l.* 83. § 4. *ff. de V. O.* §. 1. *I. verſ. item contra. de inut. ſtip.*

75. *Puſend rſ. l.* 3. *de I.N.& G. c.* 7. *n.* 3.

culpâ, an verò dolo & culpâ promittentis contigerit: Pertinet hùc locus apud Ciceronem: [76] *Incidunt ſæpe tempora ut promiſſa non ſervari juſtum ſit: Referri enim decet ad fundamenta juſtitiæ: primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati ſerviatur: Ea cum tempora commutant, commutatur officium, & non ſemper eſt idem: Poteſt enim accidere promiſſum aliquod & conventio ut id effici ſit inutile ei cui promiſſum ſit, vel ei qui promiſerit. Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt, ea quæ ſunt iis quibus promiſeris inutilia, nec ſi plus tibi noceant quam illi cui promiſeris: contra officium eſt majus damnum anteponi minori*: Et alibi [77] multa, quæ naturâ *honeſta videntur temporibus non honeſta ſunt; facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſitum, commutatâ utilitate ſiunt non honeſta.* Quanquam hic craſſius paullò philoſophatus videtur Cicero; Namquè an res utilis ſit futura ei, cui promiſſa eſt, judicare promiſſor non debet; & ut promiſſum promiſſorem non obliget, non ſatis eſt quodlibet nocumentum in promiſſorem, ſed tale ſit oportet, quod pro naturâ

76. *De offic. l.* 1.
77. *L.* 3. *offic.*

turâ actus exceptum credi debeat, ut bene notavit *Grotius* [78] Tum verò, parum limatè dictum promiſſa nonnunquam ſervanda non eſſe: Fixum enim hoc eſt & primùm fidei principium, quod in ſeſe nullam admittit exceptionem, ſed illa ut dictum ex materiæ vitio venit, quæ ita comparata ut in illa vera promiſſio adeoque & inde orta obligatio non cadat. Huc pertinet, ſi & in ipſo pacti ſubjecto ea oboriatur inæqualitas onerum commodorumque quam pacti natura repudiat; ita quippe fundamentum pacti corruit, quod omninò ad æqualitatem redigendum ejus perpetua ratio jubet. Inde & jure Civili hæc exceptio rata, *ſi ſocius ita injurioſus & damnoſus ſit, ut non expediat eum pati*: [79] Illud autem quod alicubi monet Grotius, [80] ſi quo caſu contractus incipiat vergere non ad damnum modo aliquod, ſed ad perniciem publicam, ita ut ab initio, contractus in extenſione ad illum caſum cenſendus fuiſſet injuſtus & illicitus, tum non tam revocari eum contractũ poſſe,

quam

78. *L.* 2. *c.* 16. *n.* 27.
79. *L.* 14. *ff. pro ſocio.*
80. *L.* 2. *c.* 14. *n.* 12.

quam declarari eum non ultrà obligare quaſi factum ſub condicione ſine quâ juſte fieri non potuit ; ſaltem videtur ad contractus mere beneficos pertinere, qui inter ſuperiorem & ſubditos intercedunt, cujuſmodi naturam privilegia & id genus aliæ conceſſiones largitioneſque munificæ ſapiunt ; Quæ enim inter ſummas poteſtates conſtituuntur pacta publica, non videntur ſimpliciter ex hoc ſolo capite viribus ſuis deſtitui, id quod inferius, ubi de exceptionibus ex ratione ſtatus profluentibus agendum, patebit. Et hactenus quidem circa rem ipſam valet Exceptio *niſi in eum caſum devenerit, à quo incipere non potuit* etiam Legis Civilis ſuffragio ac auctoritate roborata: [81]

Neque diſpar in ipſis paciſcentium perſonis ratio, ſi nimirum illæ vitium contraxerint, quod ad recipiendam præſtandamque obligationem, prorſus reddit incapaces ; Exemplum proponit Africanus in eo, cui ſtipulatio facta, ſi is vel in adoptionem vel in exilium iverit, vel ſervus factus ſit, &c. Non rectè ait ei ſolvi : quod *tacite hæc ineſſe con-*

81. *Vid. l.* 98. *ff. de V.O. l.* 3. §.2. *ff. de h. q. pro non ſcript. l.* 11. *ff. de ſervit.*

conventio ſtipulationi videatur ſi in eadem cauſâ maneat. [82] Ita nemo tenebitur amplius, ſi ceſſet qualitas ſub qua alicui ſtipulatum promiſſumque v. g. ſi magiſtratus deſinat eſſe magiſtratus. [83] Sic & pacta populi & Civitatum, quæ dum ſui juris erant inivere, exſpirant protinus atque ſub alterius Principis imperium conceſſere, id quod Hanſeatici fœderis membris compluribus contigiſſe notum eſt: Evenit etiam ut quorum Principum imperio diſtinctæ provinciæ continentur, quarum ſcilicet ſingularum reſpectu ſeparatam perſonam repræſentant, quoties hujus vel alterius determinatæ provinciæ intuitu ſaltem in obligationem tracti, ſicubi illa ſub alterius poteſtatem reciderit, ſimul auferatur obligatio, quæ nempe ſub illâ qualitate quatenus ejus provinciæ Dominus erat, contracta fuit. Obſervandum verò quod talis hic in perſona requiratur mutatio ad obligationem tollendam valida, quæ non ſolùm eandem quo minùs ſuſciperetur impediviſſet, ſed & quæ in præſens ſubjectum tam ad recipiendam quàm implendam ob-

82. *L.* 38. *pr. ff de ſolut. & liberat.*
83. *Grot, de I.B. & P.* 2. *c.*13 §.18.

obligationem prorſus inhabile reddat, atque ejus etiam durationem & permanentiam ſecum vehat: ſubit enim nonnunquam perſona eam condicionem, quæ ſuſpendit non tollit obligationem: quò referenda ſunt exempla de quibus Cicero: [84] *Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam; neque ſemper depoſita reddenda ſunt: ſi gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium; quid ſi is qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddeſne depoſitum, non credo; facies enim contra Remp. quæ debet eſſe cariſſima.* Interdum & ejuſmodi contingentiæ in perſonî paciſcentis eveniunt, quibus non omnis ſimul pacti finis & effectus redditur irritus, quæ adeoque nec obligationem tollunt, quam tamen impedivisſent, ſi de iis initiò apparuiſſet: Ita nempe in matrimonio contingit, quod furioſo contrahere non licet, cum tamen contractum non ſolvat nec impediat: [85] Et pulcrè hinc decidit quæſtionem Ulpianus, num cæcus magiſtratum

84. *L. 3. offic.*
85. *L. 8. ff. de h. q. ſunt ſui vel al. l. 16. §. 2. ff. de rit. nupt.*

ſtratum gerere aut continuare poſſit? *melius eſt*, inquit, *ut dicamus retinere quidem jam cæptum magiſtratum poſſe, adſpirare autem ad novum prorſus prohiberi, idque multis comprobatum exemplis.* [86] Ut proinde hoc ſenſu etiam contrarium regulæ initiò poſitæ rectè aſtruatur, quod *quæ ſemel utiliter conſtituta ſint durent, licet in eum caſum deveniant, unde incipere non poſſint*; [87] licebitque vel hinc componere diſſidium illud, quod circa hoc axioma inter ſectas veterum Jure Conſultorum ortum fuiſſe apparet ex *l.* 98. *ff. de V. O.*

Quod porrò *ceſſationem rationis* adtinet, ſciendum eſt, eam pariter, ubi negotium eò redactum, ut quod intendebatur aut perfectum aut perfici nequeat, aut denique tale ſit quod introſpectâ verâ pacti ratione non videatur ejus ſubjectum adæquatum eſſe, ſed aliam prorſus naturam ſapiat, quàm quæ ratione ſubexiſtenti reſpondeat, exceptionem tacitam porrigere, cum eo quod pacti erat ſubjectum propriũ, exſpirante aut non apparente ipſa ſimul per ſe concidiſſe obligatio cen-

K ſeatur,

86. *L.* 1. §. 5. *verſ. caſum. ff. de poſtuland.*
87. *L.* 85. §. 1. *ff. de Reg. Iur.*

ſeatur, quippe quæ ad illud ſaltem adſtricta intelligebatur aut in illius aſſecutione ſub condicione poſſibilitatis, terminata. Hinc adeo profectum eſt illud Jure Conſultorum: *Ceſſante ratione diſpoſitionis ipſa ceſſat diſpoſitio.* [86] Dicitur igitur ceſſare ratio non tantùm ex defectu ejus in applicatione diſpoſitionis ad ſubjectum præſens deprehenſo, qui caſum eum omninò excipit, ut in ambitum diſpoſitionis, quem *ratio* ipſius deſignat non incurrentem, ſed etiam cum id quod pacto propoſitum erat pænitus ad effectum perductum aut perduci impoſſibile ſit: Ita nempe & à ſocietate recedere licet, *quod eâ re frui non liceat, cujus gratiâ negotiatio ſuſcepta.* [88] Et qui protectionem tutelamque alterius ſuſcepit, ubi cordatâ, prudenti & accuratâ omnium Circumſtantiarum ponderatione apparet, eum certò fruſtrà futurum, quanquam proſequi protectionis ſuæ obligationem velit, eandem hac exceptionis æquitate omittere poteſt. [89] Neque adeo in per-

87: *L. 52. ç. 1. C. de Epiſc. & Cleric. l. 77. ö. 20. ff ac Leg. 2. Zanger. de except. part. 3. c. 26. n. 70.*

88: *L. 15. ff. pro ſocio.*

89. *Vid. Mager. de advocat. armat. c. 11. n. 224.*

perniciem quis ſuam pacto indurare obligatus eſt, nec tenetur amplius ad auxilium ſocio, ſi nulla ſpes ſit boni exitus. [90] Si enim ſocius videat ſe hoſti parem non eſſe etiam adjunctis meis viribus, & tamen perſeveret in certam perniciem ruere, cum liceat tolerabili condicione tranſigere, ſtolidus forem ſi alieno me furori comitem jungerem, cum ratio, quæ unâ ad fœdus impulit, obtineri nequeat. Quanquam eâ rerum obortâ facie, id tamen imprimis in partibus ſocii cenſetur, quò fidem efficacius liberet, ut de ſuâ intentione ac ſententiâ ſincerè maturèque ſocium reddat participem, eumque pariter ad amplectendas æquas pacis condiciones pro virili impellat, ne is ex inſperato auxiliis quibus potiſſima ipſius conſilii pars nitebatur, orbatus, ad eas redigatur anguſtias, ut nec reſiſtere, nec decoro ſatis tractatu ſeſe explicare queat. Cæterum ut locum habeat Exceptio, illam neceſſe eſt *rationem* ceſſare quæ unica pacto velut cauſa ſuberat, & quæ *ſola plenè & efficaciter voluntatem movit:* [91] Contingit enim ſæpius ut plu-

K 2 res

90. *Grot. l. 2. c. 25. n. 4.*
91. *Grot. l. 2. c. 16. n. 23.*

res concurrant, tumque adeo unâ quamvis earum ceſſante non perimitur obligatio: Exhibet in hoc exemplum elegans Ulpianus: [92] Lex erat ne mulier intra annum luctus nuberet: Contigit eum maritum mortuum *quem more majorum lugeri non oportebat*: An iccirco eâ ratione ſcil. ceſſante, ipſi etiam nubere intra annum licuit? Negat Jure Conſultus: Prætor enim ait, *ad id tempus ſe retulit quo vir elugeretur, qui ſolet elugeri propter turbationem ſanguinis*. Atque adeò quoties ratio particulariter ceſſat, ſaltem ad diſpenſandum oritur diſpoſitio, quod ſi ea demum generaliter deficiat, omnis ejus obligatio intercidit. [93] Præterea in pacto, ex utraque paciſcentium parte æqualiter ea ceſſare ratio debet: Iniquius enim diſceditur, nec juvat exceptio, ſi pars altera ſcopum ſaltem obtineat, altero ſpe fruſtrato: Multum ſibi negocii faceſſit *Bodinus*, [94] dum hoc argumento ſeceſſionem illam Mauritii Saxonis à fœdere Gallico, impugnat, cui tamen non defuere, qui vindicias opponerent, ut

92. *L.11. §.1. ff. de h.q. in fam. notant.*
93. *Grot. l.1. c.3 n.5. l.2. c.20. n.26.*
94. *L.5. c.6. de rep.*

ut *Arumæus*, *Hilligerus*, *Heigius*, aliique: Sed per illorum temporum turbas & iniquiora fata Germaniæ frequenter ejuſmodi obveniſſe exempla deprehendas, ut fœderatorum ſinguli ſuis rebus privatim velificantes, communi ratione ſepoſita ſub qua pactum erat initum modò huic modò alteri parti acceſſerint, quæ inconſtantia rebus imprimis Proteſtantium inſignem ſæpius labem attuliſſe creditur.[94]

Uti verò in belli conſilio alia ejus eſt *occaſio*, aliæ ſunt *cauſæ*, & hæ iterum vel *ſuaſoriæ* vel *juſtificæ*; perinde etiam in indaganda hac *ratione*, qua ſcil. pactum ſuſtinetur, ſecernendæ omnino ac diligenter ſunt cauſæ impulſivæ à finali, proprio ſcilicet veroque ſcopo ac fundamento pacti: Tum etiam iis quæ ſecretiori animi receſſu continentur: Illæ namque anguſtiores ſunt quàm ut inde contractus modum capere queat; hæ verò ſæpius etiam ita comparatæ, ut minùs juſtum ac ſtabile fundamentum præbeant, cui ſcopus ſuperſtrui queat, unde in occulto magis habentur, quàm ut exprimi ſoleant; Finalis verò cauſa quæ cum *ratione* co-

94. *Vid. Silhon. part.* 2. *l.* 2. *diſc.* 9.

incidit, & à paciſcentibus principaliter conſideratur, totam reſpicit diſpoſitionem, influitque adeo in omnes ejus effectus. [95] Ita dum ſæpius *ratio* fœderis obtenta, reſtant tamen ſecretiores quædam cauſæ impulſivæ, aut rationes ambitioſæ quæ ex altera ſaltem parte ſub hoc fœdere ſpectabantur, hæ verò non eandem habebunt operationem, aut effectum, quam illa qua ſola pactum nitebatur. Occupatur & præterea in hujus argumenti contemplatione magna pars ſolertiæ prudentiæque civilis, non quidem obviæ illius, ſed quam ſecretiora tractatuum actorumque inter Principes miniſtrant: Ita nimirum accuratâ ſolet induſtriâ explorari in concipiendis fœderibus, quæ ſit vinculorum adſtrictio aut laxatio, quò ſe porrigant ſecretiores reſpectus, unde incipiant, quove ſe condant occulti nexus & conſiliorum abdita: Plerumque enim qui vaſtis conſiliis animum adjecerunt, altiùs condito quò collineant ultimo ſcopo, ſpecioſa quædam & plauſibilia jactitant, quibus alterum in ſocietatem allectant, futurum ſuæ ambitionis inſtru-

95. *Cardin. Mantic. de tac. & amb. conv. l. 3. tit. 12. n. 24. 25. &c.*

ſtrumentum: ipſo etiam durante fœdere per ſaltus velut nullo tamen impreſſo veſtigio, ne ſcilicet ſentiantur, à ſcopo fœderi præfixo divagari ſolent: Quibus præcavendis utile cenſetur in ipſis tractatibus firmum imprimis immotumque fœderi ſcopum præſtituere, eumque accuratè ſatis & ſubtiliter ſecundum omnes inde orituras contingentias examinare, tum & conſiſtente fœdere in eundem irretorto ſemper oculo intueri, ejuſdemque ad normam quaſvis ſocii actiones etiam minutiſſimas, quippe unde ſæpiùs maximarum rerum momenta pendent, ſollerter & ſummâ cum curâ obſervatas & introſpectas exigere, ne quæ facilè irrepat à mente & normâ fœderis aberratio: Sed hæc fermè ſunt alterius loci: hactenus tamen attingenda fuere, quod Exceptionem ſocio largiantur adverſus eum qui præter fœderis ſcopum ac rationem non nulla machinatur.

Denique & in *Ratione ſtatus* tacitæ exceptionis æquitatem collocavimus: Et ampliſſimam quidem eo ipſo licentiæ ambitionique Principum feneſtram patefeciſſe videbimur, quippe quam illi hoc ceu felici mangonio vaferrimè

adornare ac proſtituere norunt : Sed cautiùs hoc in rerum genere quæ ex ingenio eorum , qui ſuos illa in uſus arripiunt, juxta nocere aut prodeſſe poſſunt, verſari ſuevimus: Operoſi quidem ſatis multi fuere & ſunt etiamnum in perveſtiganda hujus idoli naturâ ac indole , quorum ſententias perquirere, aut rem ipſam prolixiùs ſcrutari , nunc quidem eſſet extra oleas divagari : Sed qui hanc ſolâ utilitate quam *intereſſe ſtatus* cujuſcunq; Reip. dicunt, metiuntur, næ verò omnem fidei ac honeſti reverentiam ejuraſſe meritò cenſendi ſunt, quin etiam inextricabili ſeſe errorum pernicioſiſſimarùmque opinionum labyrintho immergunt. Illud etiam non ſine grano ſalis accipiendùm , quod non nemo dixit : [96] *Principem imperare populis , rationem ſtatus Principibus* : Sanè ſi huic ſummum velut imperium deferas nunquid ni eo ipſo omnia juſta & honeſta, & quæ ad ſanctiſſimam civilium ſocietatum cuſtodiam pertinent, inter quæ fidei publicæ cura cenſetur præcipua , ab ejus nutu ſuſpendiſſe te intelligas ? At quid hoc aliud , quàm ipſa omnis humanæ ſocietatis fundamenta

96. *Dux de Roan. trat. ſtat. Europ. præf.*

menta convellere & vincula diſrumpere: Imprimis quod pactorum publicorum religionem concernit, eam ad hujus momenta exigere ſummè noxium ac periculoſum, cum illi adeò ſubvertendæ nunquam deeſſe color queat. Tum verò non eſſe ſeparandas reipublicæ Principiſque perſonam quando de validitate aut invaliditate pacti ejuſque cuſtodia diſquiritur ſana ratio dictat: Princeps enim quoties cum Principe contrahit, uterque myſticè rempublicam repræſentant, hujus quippe reſpectu obligantur, atque adeò ipſam invicem Rempubl. obligant, ita prorſus ut in pactorum conſtitutione ea planè individua ſint & ad illum actum nullà ne mentis quidem ratiocinatione ſeparari queant. Ecquid ni ergo injuſtum erit in earum laxatione aut diſſolutione hæc diſcerpere atque inde ſubruendæ fidei exceptiones ac prætextus conquirere; Sed nimirum quæ ex hâc ſtatus ratione profluunt *exceptiones tacitæ*, ab obligatione pacti liberantes, ex iis æquè principiis deducendæ ſunt, quæ ſuperius innuimus, & quoties illis minus convenire deprehenduntur, perperam & ex libidine

illud Mariæ Scotiæ Reginæ ad congregatos Scotiæ fœderatos ne promiſſa regia redderentur irrita ſubmonentes: [99] *Promiſſorum fidem à Principibus exigendam quatenus præſtare ipſis eam expediat*: Et inter deformiores nævos doctrinæ Machiavellicæ refertur, quod & ipſe Principibus omnem fidem ſola utilitate æſtimandam metiendamque, & ex hujus ratione obligandam perinde atque interrumpendam præfractè afferat. [100] Certè luculentiùs oſtenditur alibi & de eo ad ipſam rerum humanarum experientiam provocare licebit, utile nihil eſſe ad ſtabilem in Rep. felicitatem gloriamque parandam, quod ab honeſtate diſcedat; Nihil ferè quicquam magnæ rei in vitâ feliciter licebit gerere, quod quidem firmum ſit ac diuturnum, niſi Dei hominumque favore adjutus fueris; Hunc verò ab ejuſmodi conſiliis, quibus omnis juſti honeſtique ratio ſpernitur, nemo prudens ſibi pollicebitur: Tum verò & cum ipſa ſocietatum omnium juſtitiâ è diametro pugnat, ſolius arridentis

99. *Buchanan. hiſt Scot. l.* 16. *f.* 192.
100. *Vid. Mach. Princ. c,* 18. *& ib. D. Conring. anim.*

dentis cujuſdam utilitatis unius ſaltem in commodum directæ reſpectu, è ſocietate diſcedere velle, unde & in privatorum ſocietatibus dirimendis eam rationem ut iniquiſſimam improbat Lex civilis: [101] *Si renunciaverit ſocietati*, inquit Paulus, *unus ex ſociis eo tempore quo interfuit ſocii non dirimi ſocietatem, committere eum in pro ſocio actione: nam ſi emimus mancipia initâ ſocietate, deinde renuncies mihi eo tempore quo mancipia vendere non expedit, hoc caſu quia deteriorem cauſam meam facis teneri te pro ſocio judicio: Proculus hoc ita verum eſſe ait, ſi ſocietatis non interſit dirimi ſocietatem, ſemper enim non id quod privatim unius ex ſociis intereſt, ſervari ſolet, ſed quod ſocietati expedit.*

In conſtituendis igitur exceptionibus, quæ ex contemplatione *rationis ſtatus* proficiſcuntur, ad ea pariter quæ ſuperius deſignavimus communia harum exceptionum principia ac fundamenta decurrendum: Secundum hæc, ea demum ſtatus ratio, tacitam ſuppeditat Exceptionem, quæ juxta utilitatem, ſummum quoque *propriæ everſionis*

101. *L. 65, ff. §. 5. pro ſocio.*

ſionis periculum, aut inevitabilem *præſentiſſimæ neceſſitatis* caſum comprehendit: Nimirum hæc talia ſunt, quæ in ſeſe principium illud pacti deſtructivum continent, neque adeo ad pacti legem trahenda, cum intentio paciſcentium eò ſe non extenderit: Adfert autem præcipuum huic Exceptioni pondus, illa *neceſſitatis cauſa*, ut magnum humanæ infelicitatis patrocinium; Nimirum *duo*, inquit ille, [102] *capita efficere poſſunt ut vetita permittantur, neceſſitatis & pietatis*: Intelligitur autem non ſimplex illa neceſſitudo, quæ nulla ratione leniri poteſt, ſed *cum adjunctione*, quæ nempe ſe ad tria illa refert, honeſtatem, incolumitatem & commoditatem. [103] Illa quidem ſumma ſemper ratio cenſetur, hæ verò binæ ſi coincidant, eam conſtituunt *utilitatem*, quæ eſt excellens & in rationem etiam neceſſitatis urgentiſſimæ aſſumitur, illi tamen plerumque cedit: quod ſi præferatur, factum non tàm præſcriptione juris & directâ viâ quàm ex-

102. *Petr. Greg. Tholoſ. Syntagm. jur. univerſ. l* 2. *c.*16 §. 23.

103. *Vid. prolixè Cic.* 2. *de invent.* 57. & 58. *Vid. Bœcler. ad Grot. de I. B. & P. l.* 1. *c.* 1. *p.*137. & *l.*2. *c.*2. *p.*65.

excuſatione infirmitatis humanæ per vocabula veniæ, & miſerationis & clementiæ defendi ſolet: Quæ verò ex ſola commoditate aut lucro oritur neceſſitas, ex temporis & conſilii ratione nonnunquam locum habebit, in pactorum tamen fide ſublevandâ aut liberandâ, nunquam id quod priores iſtæ obtinet momenti: Eſt igitur hæc conſervationis ſtatus cura ejuſque ſumma & vehementiſſima neceſſitas quoad effectum omni vinculo fortior, cum non poſſit non homo ad ſe conſervandum conniti, eoque non facilè ad talem obligationem adſtrictus intelligatur, quæ ardori propriæ ſaluti conſulendi præponderare debeat.

Excuſavit hanc æquitatem Galliæ R. cum A. MDXCVIII. contra fidem Eliſabethæ & Batavis datam cum Hiſpano paciſceretur: *Illa enim imprimis*, ait hiſtoricus [104] *hæc animo tulit iniquiſſimo, Regemque fidei datæ, & ut conſcientiæ apud Deum, exiſtimationi penes homines conſuleret, admonuit, at ille ea indignanter audiit, nec alia quàm urgentis neceſſitatis excuſatione promiſſa exuit, quod ſi pacem ab Hiſpano oblatam de-*

104. *Cambden. part.2. p.707.*

deſugerit, *Galliam interno bellorum incendio involutum iri certum eſſet.* Expreſſit idem reſponſi paullò aliter Thuanes [105] hæc verba Regis referens, *Reges non aliter pacem & fœdera inter ſe facere, quàm cum hàc tacità condicione, ut quod rebus ſuis utile ſemper amplectantur, quod perniicioſum caute devitent*: Pariter & Octavius Genuenſis cum Hiſpanis pacem iniens, quod contra fœdus erat cum Gallo & Pontifice ictum, ad hunc miſſa copioſa epiſtola [106] notæ hujus, putavit, *diluitionem ſibi ſi ad privatos homines, vel ad Principes, qui privatis rationibus regnorum res metirentur, ſcriberet, difficiliorem fore; Sed cum ad omnium ejus ætatis Principem ſapientiſſimum, quique pro ſuà ſapientià ſuum ipſum ſtatum alià ratione conſervari non potuiſſe perſpiceret, literas daret, apud eum, qui quid liceret, vel ſaltèm quid Principes non modò cum ad eum ſtatum ſunt redacti, verum & imperii augendi vel in meliorem ſtatum redigendi gratià facere conſueverint, optimè cognoſceret, ſcire ſe excuſare ſupervacaneum eſſe.*

Cæterum hoc *neceſſitatis conſervationiſ-*

105. *L.* 120. *p* 421.
106. *Guiccardin. l.* 12. *p.* 156.

tioniſque ſtatus titulo, eam demum intelligimus quæ eſt ſtatus præſentis, non ejus qui fuit olim, & qui legitimis intervenientibus pactis, licet in deterius, juſtè tamen immutari potuit: Quanquàm enim ejus memoria ſubinde aculeos in animis excitare ſolet; non tamen illi eò valere debent, ut in ſpem priſtinæ fortunæ iterum inſurgendi, aut dato tempore exceptionis hujus obtentu, res ad antiquum ſtatum redigendi inde naſcatur animus: Abit enim ab æquitatis & juſticiæ normâ longius, illa *ratio ſtatus* quâ nunquam cenſetur amiſſa recuperandi animus abdicatus modo occaſio ſuppetat: Quâ ferè regulâ uſi olim Pœni: *Pudebat nempe nobilem populum; ablatum mare, captæ inſulæ, dare tributa quæ jubere conſueverant; unde ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat*: Et hâc tacitâ ſcilicet condicione & altiùs preſſâ intentione paciſcebatur Perſeus quondam, dum *quicquid pacis cauſa primum parandæ patiendum eſſet non recuſandum videbatur, nec committendum ut in aleam tanti caſus ſe regnumque daret, multa diem tem-*

107. *Florus l. 2. c. 2.*
108. *Liv. l. 42. c. 50.*

tempuſque adferre poſſe, quibus non amiſſa modò recuperare, ſed timendus etiam ultrò iis eſſe poſſet, quos nunc timeret. Talia uti initio ſinceritati pactorum refragantur, & tacitam perfidiam involvunt, ita nec ullum ad Exceptionem validam ſubſidium inde exſpectandum.

Quinimò non quodvis præterea hinc periculum aut diſpendium privatæ ſingulorum rei ad hanc Exceptionem ſufficere ſatis oſtendi credo, dum in præſentiſſimâ demum *neceſſitate & everſionis propriæ metu*, ejus fundamentum collocatur: Qui enim in ſocietatem coëunt, non de commodis ſolùm partiendis cogitaſſe, ſed in conſortium proſperorum ſimùl atque adverſorum deſcendiſſe cenſentur; unde nec ea pericula aut damna quæ ferè ac communiter anceps belli alea & incerta fortunæ adferre ſolent, temere ab obligatione liberare aut Exceptionem miniſtrare intelliguntur: Neque adeo ubi quædam illata clades, ſiquidem ea reparabilis, confeſtim deſerere fidem ſocio datam licebit: Tum demum ubi ſumma rei videtur in certiſſimum adduci exitium, aut ea appareſcant pericula, quæ ſubvertendo ſtatui domeſtico

ſi ingraveſcant valida eſſe cenſentur, nec aliis modis arceri queant, utique ſeparare ſuas utilitates à ſocio, ſiquidem in perſeverantiam belli obſtinatior, & quâ viâ impendens diſcrimen evadi queat, ſub hujus Exceptionis tacitæ munimine, ſequi innoxium erit. Quanquam enim qui honoris ac dignitatis ſuæ retinentiores videri adfectant, generoſius quoddam ſonare ſolent, ſe nempe cum ipſius etiam diadematis jactura fidei ſociis datæ adhæſuros, facilius tamen eorum reperias exempla qui id oſtentâvere, quam qui præſtiterunt, niſi jam ante de rebus ſuis deſperaverint, atque ita

—— Quærant
Cum quâ gente cadant. ——

Quod ſi porrò ab ipſo etiam quî cum pactum erat ſocio, ſummum, ſi in fœdere perſeveretur, ex occulto velut immineat periculum, pariter & hinc *rationi* ſtatus cedere credenda fœderis obſervantia: Nimirum ex ingenio & deſtinatis fœderati hæc dependent; Si enim is ſibi eam ſtruere intendat potentiam ſocii adjutus favore, quæ ſi invaleſcat, ipſi etiam obterendo par eſſe queat, aut ea occultè machinetur, quibus

bus ſocii ſtatus ejuſque fundamenta pariter tentari ſubruique poſſe apparet, juſtiſſima primò oritur diffidentiæ cauſa: Sequuntur admonitiones & dehortamenta, quibus ſpretis, ſi ulteriùs conatibus eodem agendi modo inſiſtat, juſtiſſima ſane rationis ſtatus exceptio obligationis vinculum reſcindit. Hinc adeò qui in ejuſmodi fœderatos incidunt, quorum animus inter vaſta uſque conſilia volvitur, quique non tam ex fide ſincerâ quàm occultâ ambitione omnia agunt, ſæpiùs fere, prout rerum vices ac ſecuritatis ratio dederit, mutare fidem ac fœdera coguntur: Ita nimirum graviter & ſpecioſè quondam in ſenatu Veneto Dominicus Treviſanus: [109] *Cogimur parere neceſſitati temporum & ſæpè mutare voluntatem, propoſitum, amicos & inimicos, ſuſpectam habere omnem externam potentiam, timere multa, fidere paucis, & perpetua vigilantia aliorum obſervare actiones; habentes in iſtâ inconſtantiâ unum conſtantiſſimum & firmiſſimum propoſitum conſervationem ſtatus noſtri & magnitudinem Reipubl*: Quam in ſententiam de iiſdem Venetis etiam alio tempore per-

Ff ora-

109. *Paulus Parut. hiſt. Venet. l. 5.*

orabat Leonardus Hemus : [108] *Non dubitavimus accedere modò huic modò alii, quomodo nobis ſuadebat temporum ratio & utilitas noſtra : Tertius decimus nunc annus eſt, cum Regi Franciæ fœdere juncti eſſemus : Verùm adoleſcentibus Cæſareanarum partium viribus in Italiâ nec comparentibus Francicis auxiliis, ut impoſſibile videretur impetum hoſtis ſuſtinere, Cæſaris fortunæ ceſſimus; ſecuti conſilium quod nobis ſuggerebat ſecuritas rerum noſtrarum : Verum paullò poſt reſurgente Gallicâ factione relicto quod cum Cæſare nobis intercedebat fœdere veterem cum Gallo amicitiam confirmavimus, cui cum adverſè omnia ſucceſſiſſent, cum Cæſare pacti ſumus : cujus magnitudo atque potentia cum occiperet eſſe ſuſpecta, utprimum in Franciæ R. jam tum liberato experiendorum armorum cupidinem advertimus, ſocios nos illi præbuimus, exigendis ex Italiâ Cæſareanis : Hæc non omninò duorum annorum ſpacio geſta ſunt; Et certe ſapiens conſilium fuit, ſervire temporibus; hoc enim ipſo Remp. ſervavimus, eique cum dignitate pacem reſtituimus :*

Atque ex hiſce forſan aliquantulum elu-

110. *Idem l. 8.*

elucebit quænam *ratio ſtatus* & quatenùs ea velut helice ac Cynoſura in conſiliis de pactorum publicorum fide incidentibus habenda ſit.

Cæterum illa quam attigimus *neceſſitatis exceptio* in alia multa ſeſe negocia diffundit, quibus plerumque ea quæ aut contra conventionem committuntur, aut minùs ex earum diſpoſitione perficiuntur excuſari ſolent: [111] E quibus & illud eſt, quod & locum occupare aut caſtellum exſtruere in ſolo pacato fœderati, contra Leges pacis ac quarumvis conventionum licere creditum, quoties id belli ratio & neceſſitas exigit: Quippe quæ tale jus dat etiam in re alienâ, amici & fœderati. [112] Quod tamen aſſertum uti magnæ licentiæ inſolentiæque patrocinium promittere videtur, ita ſingulari omninò ſollicitâque cautione indigere palàm eſt.

Habes, GENEROSISSIME DOMINE, quæ è tenui *adverſariorum* meorum penu impræſentiarum con-

111. *Vid. Grot. l.2. c 2. n. 10. & ibid. Bæcler. ennd. l.3. c.1. n.2. & l.3. c.17. n.1.*

112. *Vid. Alboric. Gent. de I. B. & P. l. 2. c. 3. Chriſt. Beſold. l. 1 Pol. c.12. th.78. n.6. p.m. 520. 521.*

concinnare & in florum velut corpuſculum connectere promptum fuit: Non aſſequuntur ea fateor dignitatem & amplitudinem argumenti: Sed & ſunt tumultuariò ſaltem depreperata, cum iis exactiùs adornandis & tempus, & quæ in id requiri ſcio ſubſidia heîc minùs ſuppeterent, neque adeò mihi ex hoc muſtaceo laureolam aucupari animus eſſet: Quod enim in limine profeſſus ſum, ſuſcepi imprìmis hanc opellam, ut meæ in TE reverentiæ extaret ſpecimen; Eam ſi impoſterum Tuo favore dignam cenſueris, næ verò ſat ingens operæ me feciſſe precium arbitrabor.

FINIS.

DE ÆMULATIONE IMPERIORUM COMMENTATIO.

Σ. Θ.

DE ÆMULATIONE IMPERIORUM COMMENTATIO.

Rerum humanarum ſortem & occultam aliarum ex aliis propendentium ſeriem, tum illas orbis inclinationes, maximorumque Imperiorum vices intuenti, apparebit, quam 1 *omnia mutuo adverſoque fulta niſu conſiſtant*, dum potentiâ potentiæ oppoſitâ, congenitus humano generi ambitionis ſtimulus, alterius metu ac viribus compeſcitur. Duo nimirum ſunt, quibus velut momentis rerum fere circumagitur ſumma, Potentiæ ac Securitatis ſtudium; inde Ambitio hinc Æmulatio ab omni ævo mortalium genus diſſidiis belliſque invicem colliſère.

 Quæ

1. *Gell. Noct. Att. 6. c. 1.*

Quæ aliunde arceſſitur ſpecioſa titulorum ſeries, fucus plerumque eſt, quo injuſtæ ſæpius cauſæ lenocinari ſolet hominum ſolertia. At verò iſta ſibi in adverſum nitentium fabula, ut à primis propè mundi cunabulis cœpit, ita hodienùm agi actumque iri certum eſt, dum natura humana ſui incipiat oblivisci; hoc eſt alienis inhiare dediſcat. Altius tamen hæc repetenti obvium erit, dependere quidem ea *primò* à ſummi Numinis providentia, *deinde* ab ipſâ quoque naturâ, ejuſque occultâ vi, *demum* & à prudentiâ humanâ.

Quippe cætera inter coërcendæ Principum ambitionis ac inſolentiæ inſtrumenta ſunt & ÆMULI, quos excitat ſanctiſſimum NUMEN, aliis quidem ut exſcindat eorum potentiam, quæ nimiâ felicitatis conſuetudine velut ſopita, ad luxum faſtumque præceps provolvitur; Illis verò ne cæterarum virtutum ardore, longâ intepeſcente ſocordiâ, ſui ſimul verecundia evileſcat, non procliviori ad ejus contemptum quàm per ignaviam via: [2] Unde nec per Joſuam omnes olim exterminari gentiles voluit, ne populo ſuo ad vir-

2 *Iudic. c. 3. n. 3.*

virtutem exercendam deeſſet ſtimulus: Ultimis denique ut eorum reprimatur ambitio ſi quando ſortis ſuæ modum evecta, & ita res humanæ velut æquilibrio ſuſpenſæ ſint illo nec cadente nec hoc creſcente, de quo prudenter admodum non nemo: [3] *Mirari ſubit imperveſtigabilem Dei ſapientiam, qui planè contraria uno fine concluſit: Nam cum duas adverſarias poteſtates inter ſe committere ſtatuit, nec alteram alteri ſubjicere, aut ingenio aut virtute præſtantes utrique parti moderatores præficit, ut alter alterius conſilia & conatus evertat, & utrinque ſubditorum libertati conſulatur; aut utroſque hebetes & imbelles deligit, ut neuter alterum tentare & ſepta tranſilire audeat.* Carolum V. Franciſcum I. & Solymannum una tulit ætas, ad ſubigendum orbem animis non minus quàm virtute pares: ſed ne omnium ſuccederent conatus, ſingulorum interpellabat æmulatio.

4 NATURÆ pariter hic eadem vis, quæ in cæteris rebus univerſi: Totam quippe *mundi concordiam ex diſcordibus conſtare*, fixa fere Philoſopho-

L 2 rum

3. *Niceph. Greg. lib. 5. hiſt. Byz.*
4. *Senec. nat. qu. 5. 4.*

rum eſt ſententia, quæ tamen omnia ita temperavit, & inſenſibili quadam ſympathia miſcuit naturæ ſolertia, ut ad commune univerſi bonum tuendum concordi velut fœdere conſpirent:[5]

—— Ut frigida flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras:

Sic & in iſtâ civilium ſocietatum diſcreta multitudine, quæ præſentiſſima exitii cauſa videri poterant, certiſſimum ejus vinculum ſunt mutua diſſidia: Cum enim pars una augeri nequeat, niſi opprimatur altera, ut id effugiat natura, habet hoc inter cætera juſtitiæ ſuæ præcipuum, ut partes ſuas velut in ponderibus collocatas examinet, ne portionum turbatâ æqualitate mundus præponderet: Unde perpetuus ille rerum humanarum motus, diſſidia & æmulationes, dum illam in partem vergentibus rerum momentis, hinc pondera ponderibus junguntur, quo ita libratâ omnium æquâ lance potentiâ, naturalis iſte univerſi concentus & humanæ ſocietatis harmonia in ordine tenoreque ſuo contineatur. De-

5. *Boët* 3. *de conſ. Phil. metr.* 9.

Demum & è Prudentiæ Humanæ præcipuis eſt, & rerum civilium magiſtris intercalare carmen: *Ne quis nimium creſcat*: Regna quippe ac imperia mutuo magis metu, quàm amore contineri cernimus, & humanæ ambitionis vitio [5] *in ſummâ fortunâ id æquius quod validius* cenſetur. Unde in ſolâ virium æqualitate ſecuritatis præſidium ſitum eſſe apparet: Qui alium primò è gradu dejicit aut ceteris altius evectus, amico, ſocio, vicinis, remotis, hoſtibus perinde timendus eſt. Atque adeo prudenter ſuccreſcenti noviter potentiæ firmandarum virium occaſionem præcidere ſolent, qui pleraque imperia ex humili initio ad ſummæ poſtmodum amplitudinis inſtar emicuiſſe cogitant. Nunquam eò Sarazenorum progreſſa fuiſſet potentia, nec Romani Epiſcopi inſolentia paſtorali parum contenta baculo enormi ſe licentia gladio alligaſſet, ſi non imbellis Cæſarum ſocordia tenues principiò & facinoris conſcientiâ nondum auſuras vires in armum ſuſtuliſſet. Sed & imperia vetuſtate ſuâ pridem firmata, dum in mediis conſiſtunt, in-

5. *Tac.* 15. *an. cap.* 1.

vidiâ fere intacta ſunt; at dum eminere altius incipiunt, cæteros confeſtim metus, ſuſpicio, odium ac inde orta æmulatio ſollicitos tenet: id quod prudenter monebat Philippum R. Demetrius, *quanto promtius nobiliuſque ejus regnum foret, tantò acriores habiturum hoſtes*. Enimverò metus iſtius ratio more humani ingenii nititur, quod ex magnis majora cupit, difficili ferè inter blandientis fortunæ illecebras modeſtiâ. Nec heri demum aut hodiè ſuſpecta eſſe cœpit familiaris ea tegendæ ambitionis aſtutia, altiuſque condendi propoſiti artificium, quo non nulli jurium quorundam ac prætenſionum titulis nixi orbem penè univerſum in partes vocant; magno & ſpecioſo apparatu cauſam tuentur, modo ut cæteri quieſcant, dum illorum obtritæ vires, à quibus deinceps ad reliquos progreſſus, atque inde ad omnes, perinde ac Cyclops, ut eſt in fabulis, dum primos devoraſſet, ſeponebat cæteros, cum omnes unus non caperet hiatus; Sane aularum hoc arcanum *ne quis nimium creſcat* qui ſolertius ſcrutantur, id ipſum officere deprehendent,

quò

7. *Inſtin.* 19 *cap.* 2.

quò minus tam ea quæ cum orbis periculo conjuncta ſunt, quam quæ ſuccedere humani generis intererat, eventum ſortiantur: Magnorum facinorum gloriam, in quibus rerum humanarum cardo vertitur, dum quivis adfectat, nemo tentare audet, quandoquidem plus ab æmulatione, quàm ab eorum quæ cogitantur difficultate imminet periculi: Qui ad compeſcendas barbararum gentium vires aut componenda orbis diſſidia animum adjecerunt, nunquam æmulis caruiſſe novimus: *Satius eſt*, inquit ille, *Imperatorem Viennam amittere, quàm recuperare Budam.*

Sed hæc quæ diximus intelligenda ſunt de generali æmulatione illa ac omnibus fere communi, qua eorum conatibus, qui orbem terræ in famulatum depoſcunt, tanquam ſui imperii rura, obviam itur, ne ſucceſſibus aucta ambitio præſidium ab audacia mutuetur & torrentis inſtar in perniciem humani ſe generis effundat: [8] Qua ratione olim ad coërcendam Romanorum potentiam totus propemodum arrigebatur orbis, quippe quos *gentium latrones*,

8. *Juſtin. lib.* 38. *c.*4.

trones, orbiſque raptores increpabant.

Eſt alia magis ſpecialis, qua privatim ſingulos ſtatus, ſingula imperia invicem collidi videmus: [9] De qua nobilis Gallicarum rerum ſcriptor: *In rebus*, ait, *humanis contingit, ut nullus fere ſit populus, cui non æmulum aliquem aut adverſarium D E U S excitavit: Gallis oppoſuit Anglos, & Anglis Scotos: Hiſpanis perpetua quædam cum Luſitanis ſimultas intercedit, Italiæ Principes magna ex parte retinent poſſeſſiones ſuas: Sed iis fere reliquæ potentiores adverſantur civitates, Venetiæ, Florentia, Genua: Arragoniæ Reges oppugnantur ab Andegavenſium Ducum familiâ, Mediolani & Inſubriæ Vice-Comites ab Aurelianâ domo: Venetis ſunt infeſti Principes Itali & Florentini: In Germaniâ magnæ ſunt inter Auſtriacam Bavaricamque domum æmulationes &c.* Ad ejuſmodi vero æmulationes quæ exſtimulant, cauſæ ſæpius diverſæ ſunt: Quas inter non poſtremis accenſenda naturalis illa gentium quarundam ἀπέχθεια, ſatis valida concitandis ad internecina diſſidia animis, dum odium, invidia, ac reliquum iſtud impotentis animi ſatellitium

9. *Cominæus lib.* 10 *p* 688.

litium arma miniſtrant. Sed nimirum ea inter vicinos frequentior eſſe ſolet diſcordia, imprimis ubi alterum eminere contingit, à nemine magis fortunæ modum exigente invidia quàm qui in æquo fuere. Acrius eſt inter eos æmulandi ardor, qui alteri aliquando regiones extorſere, aut virium potentiæque partem decerpſere. Illinc jacturæ memoria animos urit, hinc occurſante metu, ne blandiente aliquando temporum opportunitate, collectis viribus in vindictam conſurgat alter, & recuperandi quod perdiderat animum reſumat: [10] Olim *pudebat nobilem populum* (Carthaginenſes) *ablatum mare, captæ inſulæ, dare tributa quæ jubere conſueverant: Hinc ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat.* Et credibile eſt non levi ſenſu verſari Regum Principumque animos, dum multarum regionum titulos in argumentum avitæ potentiæ oſtentant, ipſis pridem regionibus aliorum juri obnoxiis: Sed plerumque Reges, quoties adverſis cedere coacti ita cenſentur animati, ut olim Perſeus, cui [11] *quicquid pacis*

L 5 *cauſâ*

10. *Flor. lib.2. c.2.*
11. *Liv.42. c.50.*

cauſâ patiendum eſſet, non recuſandum videbatur, nec committendum, ut in aleam tanti caſus, ſe regnumque daret: multa diem tempuſque adferre poſſe, quibus non amiſſa modo recuperare, ſed timendus ultro iis eſſe, quos nunc timeret poſſe. Quocirca parte altera ne longa quidem temporum ſeries eam adferre ſecuritatem ſolet, quæ non metuat, ſi quando lætior æmulo aura afflaverit. Sæpius nec non funeſtæ æmulationi cauſam dedit, quoties in duobus ſeſe imperiis eadem exſeruit cupido: Hac quippe re evenit fere ut [12] *quod vinculum amoris eſſe debebat, ſeditionis atque odii cauſa ſit, idem velle.* Urbana magis quam vera olim Franciſci I. erat oratio, cum pariter quam Carolus V. Imperii coronam ambiret, [13] *ipſis exemplum eſſe ſequendum duorum juvenum qui aliquando ejuſdem eximiæ puellæ amore capti & uterque omni arte illa potiri niſi, non tamen iccircò aliquod inter eos diſſidium ortum.* Sed & noverat ille aliorum in manu ſita eſſe, de quibus uterque certabat, quorum iccircò animos auro & arte malebat expugnare quam

12. *Senec. de irâ* 3. c. 24.
13. *Guicciard. lib.* 13. p. 283.

quam dubiam cum æmulo aleam ſubire. Longe diverſum eſt, quando id de quo contenditur in medio velut poſitum valentiori in præmium victoriæ ceſſurum: Quippe hic non niſi ad enſem provocatio datur, ubi dum multa æquitatis præfatione dominandi cupido conditur, eo rem redire videas, ut, quod Barbari dicebant, [14] *jus in armis ſitum ac omnia fortium virorum ſint.* Ita fere per excidia perniciemque alterius graſſatur ambitio, dum iſta cum æmulo certamina futuræ velut victoriæ prælúdia ad ea quæ deſignantur animo viam ſtruunt: Sic quondam *adfectabat ut Romanus ita & Pœnus Siciliam, & eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis agitabat.* Sed eo demum exciſa Carthagine potiti voto Romani: Denique multæ non rarò gentes nullis privatis ſimultatibus, ſed Principum ſuorum ſecutæ æmulationes, juſſas velut inimicitias exercuere. Illis autem ſola ſæpius alterius gloria ſubeſt in oculis, & vehemens æmulandi ſtimulus: Ut Eumenes adeò Perſei haut faveret victoriæ, [15] *non tam*

14. *Liv. lib. 5. cap. 36.*
15. *Flor. 2. c. 2.*
16. *Liv 44 c 25.*

tam quia paternæ inter eos inimicitiæ, quã quod eorum inter ſe ea eſſet æmulatio, ut æquo animo Perſea tantas adipiſci opes tantamque gloriam haut viſurus fuerit. [17] Nonnunquam & morum ingeniique diſſimilitudo, quam in Carolo V. & Franciſco I. notavere. Sæpius & in avis primùm accenſæ durant in poſteris ſimultates ſemper in vindictam pronis: Qualis Andegavenſem familiam inter & Arragoniæ Reges per manus olim tradebatur æmulatio, poſtmodumque exorta inter Aurelianenſem quoque & Burgundicam domum, quæ necdum hodiè Gallis Auſtriaciſque concocta creditur.

Sed nimirum eò hæc æmulationis exercitia conducere pleriſque perſuaſum eſt, ne in ſocordiam prolabantur imperia dum quotidiè metus eos ab adverſario quaſi in excubiis detinet: [18] *Hiſtriones*, inquit ille, *& cantores ſcenicos in theatris ſæpenumerò pro ſe remiſſè ac nullà cum alacritate agunt & cantant: Ortà verò æmulatione non ſe ipſos modò, ſed & inſtrumenta ſua majori cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare,*

17. *Vid. Arnold. Ferron. in vit. Franc.* I.
18. *Plutarch. in lib. de cap. ex hoſtib. utilit.*

rare, accuratiuſque inſtituere concentum: Ita & qui æmulos Reipubl. ſuæ norunt, res majori cum curà circumſpiciunt. Nunquam eodem in veſtigio magna conſiſtunt imperia, dum quietem ſectantur collabuntur, dum laborare deſinunt, languere occipiunt. Id quod bellè adumbravit iſta Prophetæ viſio quatuor animalium alatorum [19] *quæ cum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis ut ſonus caſtrorum, cum ſtarent, concidebant pennæ eorum*: Atque ita ferè Ligures atque Inſubres Galli Romanæ quondam potentiæ æmuli erant, quibus [20] *quaſi cote quâdam populus ille ferrum ſuæ acuebat virtutis.*

Cæterum ſtatum æmulantium inſpicienti, quicquid inter illos vertitur negotii ad tria fere tempora redigi poſſe liquebit. Sunt enim tempora, vel *dubia* vel *belli* vel denique *pacis.*

Dubia quidem ea voco, quoties exulcerati jam utrinque injuriis animi, noviſque ſubinde ſuſpicionibus magis accenduntur, declinantibus tamen ſingulis laceſſentis invidiam dum virium victoriæque ſpes in arduo. [21] *Tutiſſimos*

19. *Ezech. c.1. verſ.24.*
20. *Flor. lib.2. cap.3.*
21. *Thucyd. lib.3. c.2.*

mos quippe *reddit mutuus metus*, *quandoquidem qui eam violare cupit*, *dum ambigit an ſuperior eſſe queat abſterretur*: quod Germani dicunt: ein Swert hält daß ander in die Scheide; In quo dubio ſtatu dum res verſantur, ſane ſinguli incedunt per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Ex tripode dictum eſt: [22] *Tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt*, *quam indictæ & apertæ*. Utcunque enim ita tepidius amicitiam colere vultu ad exprimendam candoris imaginem compoſito, eruditi ſint æmuli, erumpit tamen [23] *blandum & affabile illud odium* abſcedente metu, tanquam infirmo caritatis vinculo & affulgente quæ ſola exſpectabatur ſecurius lædendi æmulum occaſione. Sic fere [24] *Dardanorum gens Macedoniæ infeſtiſſima*, *temporibus Regum iniquis nunquam non imminebat*. Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel illud hac nummi inſcriptione jactitabat: *Opportune*, cum ferveſcente Gallum inter & Hiſpanum bello illi Principatum Salucianum eripuiſſet. Perſuaſus à Cæſareanis Daniæ Rex

22. *Cic. in Verr. 5. c. 71.*
23. *Senec. de benef. 2. c. 14.*
24. *Liv. lib. 40. c. 57.*

Rex [25] *ut potentiam Suecicam* (Auſtriæ tum gravius imminentem) *Daniæ regni à ſeculis æmulam ſuſpectam haberet ejuſque impediret incrementa*, Moſchum quoque in Suecos ſollicitabat miſſo illinc Woldemaro Comite: Sed præpeditus Suecorum celeritate ac ſolertia, dum vix ad bellum ſe comparat, ſuis jam finibus imminentes reprimere ſatagebat. Nec minus invitam experti Fortunam Dani, quando ardeſcente nuper in Polonia bello rerum illecti opportunitate ſtrepitum in Suecos concitabant, quos tàm longe diſtractos ante adeſſe intelligebant, quàm adventa re crederent: Atrocior multò impendebat tempeſtas, cum incubante Hafniæ Sereniſſ. Rege Carolo Guſtavo glorioſiſſ. memor. omnes ferè in exitium ejus eodem tempore excirentur æmuli: Poſt tot inter conſpirantium Regum Principumque minas feliciter eluctatam Suecorum fortunam, ecquis rebus humanis virgulam ſubeſſe divinam non agnoſcet?

Sed iſtis ut periculis prævertant Reges ac Principes, ſiquidem non unum ſibi

25. *Thuan. lib* 92. *p.* 529. *Piaſec. Chron. Eur. in A.*1643. *p.*520.

ſibi tendere æmulum norunt, alios bonis conditionibus dilata in tempus ultione placant, quod Rudolfus Imperator adagio ſuo monêbat, quicunque tres lites habet, duas ſi poterit, componat: [26] *Sic Philippus Macedo cum inter imperii initia bella quæ velut conſpiratione quàdam ad opprimendam Macedoniam multarum gentium confluebant, quoniam omnibus par eſſe non poterat, diſpenſanda ratus alia interpoſita pactione componit, alia redimit, facillimis quibuſque aggreſſis &c.* Non nulli aliunde æmulis negotium faceſſunt, quos ſuis adverſitatibus graviores metuunt, *accendendis offenſionibus callidi, & ferendæ invidiæ artifices.* Quo conſilio Ludovicus XIII. ut luxuriantem Auſtriacæ Domus potentiam & per Mantuanum Ducem Galliæ latus fodientem reprimeret, Suecorum jam ſucceſſibus inclareſcentium vires in eam concitabat, dum ipſe inteſtinis conflictabatur diſſidiis, ringente quamtumvis Hiſpano, & fœderis iniquitatem, cum iis quos ut eccleſiâ Romanâ ita & cœlo extorres credebant, initi, accerrimè ſugillante. Quod

26. *Juſtin. lib.7. c.6.*
27. *Tacit. hiſt.2.57.3. Item hiſt.2.86.4.*

Quod ſi porrò manus primum capulo admota, ſingulique Martem arbitrum ſpectare occeperint, atque adeo *belli tempora* ſuccedunt, promptis omninò non veternoſis inſiſtendum conſiliis monent prudentiores: Solent quippe qui ſe viribus aut temporum opportunitate inferiores ſentiunt, ut rerum turbetur facies & morâ conſeneſcat æmuli impetus [28] *pacem & concordiam ſpecioſis at irritis nominibus jactare*: Quomodo deluſus quondam Perſeus, [29] *qui Romanis nihil penitus ad bellum paratis, ni vana ſpes pacis occæcaſſet conſilia, ſuo maximè tempore atque alieno hoſtibus bellum incipere potuiſſet.* Similis Friderico Palatino ab Auſtriacis offuſa caligo, cui pacis irritamenta falſò oſtentabant, dum optimam rei gerendæ occaſionem è manibus extorſiſſent.

Sane certiſſima ſæpius avertendi periculi ratio eſt periculo prævertere & [30] *Oportet eos, qui citrà periculum vivere volunt, occurrere malis impendentibus: quod ſi impræſentiarum creſcentis plan-*

28 *Tacit hiſt.2. cap* 20.
29. *Liv.*42. *c.*43.
30 *Niceph. Greg. hiſt. Byz. l* 5. *c.*5.

plantæ radicem facilè præcidere poſſis, non eſt cunctandum ut acceptam injuriam cum periculo ulciſcaris, cum & adverſarii male cogitantis conatus opprimere liceat. Solet autem aliquando non niſi cum alterius gentis excidio deferveſcere æmulatio: qualis fere victori æque ac victo perniciem adfert, ut olim Romani cum Pœnis certabant, ut [31] *ſimilior victo populus eſſet qui vicerat.* Tutius iccircò cenſetur inter levia primò fortunæ nutantis pericula obliquare curſum, quàm niſi magna appareat opportunitas, totis collidi viribus. Eâ enim neutram in partem ſe inclinante facilius redintegrata pace ac amicitia priſtinæ injuriæ veſtigia abolentur, & quæ inter incerta caſuum coaleſcit amicitia parem fere utrinque in animis reverentiæ ſenſum relinquit: Monebat prudenter Pompejum Cæſar [32] *hoc unum eſſe tempus de pace agendi dum ſibi confideret uterque & pares ambo viderentur.*

Denique *pacis tempora* quod attinet, dum inſidiis magis patent, ſollicitudinem longè majorem exigunt, cum fre-

31. *Flor.* 2. *c.* 6.
32. *Cæſar de bell. civ. l.* 3. *c.* 10.

frequentiſſimum calamitatis initium ſit ſecuritas: [33] *Nemo mortalium juxta viperam ſomnos ſecuros capiet, quæ etſi non percutiat, certe ſollicitudinem injicit.* Nunquam hic ſtatione decedendum, irretorto ſemper oculo introſpicienda quæ ſuſcipit æmulus, ut quantum fieri potis, artes ejus ac conſilia velut in numerato habeas: Hoc nimirum grande illud arcanum eſt: [34] *Conſiliis & aſtu res externas moliri, bella procul habere.* Pleraque imperia occulta velut alluvione augeſcunt & latentibus ſibi incrementis robur ac munimenta parant, quibus proinde aut intercipiendis aut devertendis occupari ſolet æmulantium ſolertia, quoties palàm vires obvertere minus æquum. Auſtriacæ domus myſteria qui rimantur, oppidò ſemper illis arriſiſſe matrimonia opimis hæreditatibus laute deprehendunt, nec minus illuſtriſſimas quaſque domus affinitate occupare, fuiſſe ſollicitam, quò ambitionis ſuæ [35] *inſtrumenta* quoque Principes haberent ut *ſervitutis* olim Romani,

Quanquam non defuere acerrima oblu-

33 *Savedra ſymb.* 37.
34 *Tacit annal* 6. *c* 23.
35. *Tacit. agr. cap* 12.

obluctantium æmulorum ſtudia. Ludovicum quidem XI. imprudentiæ accerſunt non nulli [36] *quod implacabili adverſus Burgundicam gentem odio cæcus, quam filio uxorem dare potuiſſet, Maximiliano Auſtriaco nubere paſſus fuit*: Sed invitiſſimus quidem id patiebatur, non minus in ambienda filio ſuo Mariâ Burgundicâ anxius: [37] At repudiata juvenis ætas uxori pariter ac principatui immatura. Eadem ratio, ne latius ſerperet Hiſpaniæ potentia Franciſcum I. impulit, ut Carolo V. coronam Imperii ambiente ipſe quoque procus ardentiſſimus eandem ſibi expeteret Helenam, [38] *non tam* (ſi credere fas eſt) *ut ſui haberetur ratio, quàm ut ex Septemviris unus aut aliis Principibus crearetur.* Fuit & aliquando Polonia Gallo-Auſtriacæ æmulationis argumentum, quanquam horum ferè irriti conatus fuere hactenus quoties illuc incubuere: Omnem pro Erneſto filio lapidem movebat Maximilianus Imp. nitente in contrarium pro Andino fratre Galliæ R. ut ſcil. [39] *ipſe tam*

36. *Thuan. lib.*40. *pag.*483.
37. *Cominæus lib.* 8.
38. *Thuan lib.* 1. *pag.*36.
39. *Thuan. lib.*55. *p.* 1179.

tam potentis ac rebus Germanicis opportuni regni potens, rerum arbitrium, quaſi bilancem adverſus præponderantum Hiſpanorum potentiam pro parte ſuâ teneret ac moderaretur. Quod autem ad inſoleſcentem in ſucceſſione terrarum Juliæ & Cliviæ, Hiſpaniæ potentiam manum vix verteret Gallia, unius miniſtri culpa factum, cujus tum libidine perforata velut nare circumacta creditur.

In comparanda porro fœderum frequentia magna pro ſe quemque æmulos ambitione certare videas, dum ſinguli aliorum in alterum propendentia ſtudia aut ſibi conciliare, aut ſaltem ad adverſario devertere nituntur. Cujus conſilii mirus artifex erat Ludovicus XI. qui [40] *in dirimendis amicitiis fœderibuſque callidus fuit, in eoque nec ſumptibus nec ulli labori pepercit.* Illud ſanè eſt quo Regum Principumque aures vellere ſolent prudentiæ magiſtri, ne novis æmulum fœderibus innecti, aliiſve immiſceri negotiis patiantur, quibus nec ipſi interveniant: Gallis hæc ferè in naturam vertit conſuetudo, ex quo Hiſpanorum ſubolfecere conſilia, ut pedem eò proferre non

40. *Comineus l.2 p.360.*

non ſinant, quo emiſſitiis eorum oculis obſcurior eſſe queat. [41] Hæc ipſa malè ſopiti ſæpiuſque recrudeſcentis belli Italici ſemina: Sabaudiæ, Rhetorum, Mantuæ, Montferrati cauſa ſuſceptæ expeditiones inde manarunt: Impugnata Caſa, Pignerola, & cætera Alpium jugis impoſita clauſtra.

Illud præterea in præcipuis æmulantium artibus cenſetur inde diſtrahere animum æmuli, unde virium ipſi incrementa acceſſura apparet, eò contra ubi majori periculo expoſitus creditur oſtentatis captandæ ambitionis illecebris inducere. Sic olim Pharaſmanes filii ſibi regnoque inſidias parantis conatus evaſit, [42] *Armeniam oſtentando aliamque ad ſpem eum trahendo*. Et prudenter Ludovicus XI. ſuadentibus ne Carolo Burgundo in Germaniam arma moventi inducias concederet, ne videlicet potentiâ invaleſceret gravis Galliæ vicinus, [43] *imo concedendas* dicebat *incitandumque potiùs ad bellum, ut majori potentiæ colliſus Carolus*

41. *Vid. Trut ſtat. Europ. diſc.2. Miniſt. Richel. lib* 8. 10. 12. 14 *imprimis lib*.8. c 48.
42. *Tacit. ann* 12 c.45.
43. *Comin lib* 4 *init.*

rolus viribus ac famâ minor ex bello rediret. Cujuſmodi conſilia ut promptius ſuccedant, aurei hinc inde hami captandis eorum animis qui Regum Principumque conſilia fingunt artantque, projiciuntur: Quibus ſeculi dehoneſtamentis Hiſpani ſæpius uſi feruntur: unde lepide non nemo dixit: *In Hiſpaniâ ex auro Indico claves fabricari, quibus omnium Principum ſacraria recluduntur; Tagum aliquando Pyrenæos tranſcendiſſe, ſeſeque in Ligurem Sequanamque exoneraſſe.*

Denique & ſubjectos in æmulum Principem populos concitare indignantiumque exſtimulare ferociam tritum fere æmulantium conſilium eſt: Faciles quippe ad motus ſubditorum animi, queîs ferveſcentibus pectore odiis, ſola in vindictam deeſt occaſio. Hanc ſine delectu præcipites arripiunt, exaſperatoque injuriarum ſenſu ultionis deſiderio, utilium noxiorumque diſcrimina temeritate eludunt. Quæ Galliæ fuit multis ab annis propria calamitas, cui ferrum in ſua viſcera convertenti Hiſpani præſtò erant, internecinis, ſuos artus ſuaque membra cædentium furoribus obſtetricantes. Sane

qui

qui vaſtæ illius Monarchiæ ineſcamentis Hiſpani animum faſcinaverant, hujus conſilii auctores erant: quamquàm felicius forte ſucceſſiſſet, ſi ambitionis pruritum altius premere edocti fuiſſent, nec eorum etiam quos ſuis operari conatibus credebant præmaturâ cupiditate commoviſſent invidiam.

Sed nec Gallia quicquam reliqui fecit ut omnes ſtrenui æmuli numeros hâc in parte exacte impleret. Carolus V. ex quo univerſalis Monarchiæ ſpeciem animo concepiſſet, rem omnem in eo verti ratus ut inciſâ prius Ordinum libertate ipſius per Germaniam invaleſceret potentia: Sagaciores Galli id odorati Ordinum jam ſponte in Cæſarem gliſcentibus odiis faces ſubdere, & ne illi virium inopiâ deterriti ad cruda paullatim ſervitia animum obdurarent, ſe libertatis vindicem oſtentare, depellendo publicis cervicibus jugo promptum. Ad tam gratæ rei mentionem arrecti Principum animi quoties gravior Cæſaris imminebat inſolentia Gallum circumſpectare cœperunt, alliciente fœderum cum exteris pangendorum vetuſtâ conſuetudine firmatâ Procerum imperii libertate. Ex quo dein-

deinceps Suecorum Fortuna rebus quoque Germanicis miſceri cœpit, jam fere collum contraxiſſe viſa eſt Auſtria, tantorumque conatuum ſpes penitus decollaſſe, Germaniâ de libertate ſuâ fere magis certâ, quippe poſt univerſalem pacem ſub potentiſſimorum Sueciæ Galliæque Regum patrocinii umbra ſecurius deliteſcente.

Reliquum nunc eſt quis cæterorum Regum Principumque animus, quæ conſilia eſſe ſoleant, quoties diverſos populos æmulationis libidine incaleſcentes in orbis theatro fortuna committit, diſpiciamus. Naturâ quippe levitatis humanæ ita comparatum eſt, ut quæ ad alios pertinent ſeu proſpera ſeu adverſa, non eodem omnes ſenſu introſpiciant: Sunt enim qui aliorum commoda ac ſua detrimenta pari dolore metiuntur, ſuam inde fortunam ſpe metuque verſantes: quidam in alieno diſcrimine ſibi quoque impenſius pavent, quos mali vicinia in periculi ſocietatem trahit: Non nulli rerum quæ geruntur ſocordes ac incurioſi ad imminentes è longinquo metus minus mobiles, coaleſcentibus malis periculi magnitudinem quietis

precio redimere, quàm pericula periculis depellere malunt. Quibus ferè argumentis Regum quoque Principumque ſtudia diſtinguuntur, & dum horum disjectam naufragiis ratem, illorum plenis impulſam velis è terra velut ſpeculantur, illos afflictis rebus in ſubſidium accingit metus vel miſericordia, hinc aliis felicitatis conſortio inardeſcentibus. Sed nimirum pertinet hoc ad auctoritatem præcipuam inter Reges conciliandam, nec minus etiam in parte muneris quod gerunt, auguſtiſſimi cenſendum, ut, inter eos quos ambitionis intemperies magnæ ſpei auctoramento ad infenſandam orbis quietem conducit, quaſi ad ſtateram ſedeant arbitri. Ita ſuo tempore Laurentius Medices inter æmulam Ferdinandi Arragonii & Ludovici Sfortiæ potentiam erat *Come un contrapeſo*, ut eleganter Italus ſcriptor [44] *qui omne adhibebat ſtudium ut res Italiæ in eâ æquabilitate conſiſterent, ut non magis in hanc quam in illam partem propenderent, atque adeò ſummâ vigilantiâ prævertebat, quicquid pacem turbare poſſet.* Sed hanc imprimis gloriam eos adfe-ctare

44. *Guicciard. lib. 1. hiſt. pr.*

ctare decet, qui majus aliquod momentum ad inclinandam rerum ſummam adferunt, & viribus ac potentiâ pollent: Siquidem non inanibus ſimulacris terrentur Principum animi, nec ferocem ad pericula ambitionem caſſæ viribus minæ comprimunt: & invalidis plerumque dum iis ſe miſcent, evenire ſolet, ut prudenter Alfonſus dicebat, quod medias ædes habitantibus, dum deſuper lotio perfunduntur, ab inferioribus fumo læduntur.

Cæterum ex quo ad arma conclamatum, reliquorum, qui hactenus nullis partium ſtudiis obnoxii, prima in eo vertitur deliberatio, num bello illigari ex uſu ſit; Altera, ſi bellum ſedeat, quibus aggregari partibus conſultum.

Primum quod attinet, illi quibus ſuis in viribus ſatis eſt fiduciæ, dummodo ad ingraveſcentia pericula prompti ſint ac validi, ſatius primordia belli ſpeculantur, dum fortuna anceps & pares utrinque animi: Carolo VIII. Gall. R. in Italiam adventante, disjunctis omnibus reliquis Italiæ Principibus, parte in Gallum, aliis in Neapolitanum propendentibus, ſoli [45] *Veneti*

45. *Guicciard. lib.* 1. *p.* 61.

neti neutram partem ſecuti rerum exitum ſpectabant, quòd ſuâ freti potentiâ, victori ſe prædæ futuros non magnopere timerent}, atque adeo inſipientiam ducerent, aliorum bella ſua propria citra evidentem neceſſitatem facere. Arduum enim & fallax inter prærupta judicium eſt, & eorum quæ ex eventu magis pendent feſtinata deliberatio temeritatis cauſam ſubit, imprimis ubi æqua penè utramque in partem pericula: Si enim illos quibus operam navaſti debilitari contingat, præcipitis conſilii pœnitudinem ſubjiciet imminentis periculi conſortium, iidem ſi fortunam in partibus experiantur, auxilia tua tanquam ſupervacua aut victoriæ fructum moratura potius faſtidient, atque adeo contemptus indignatio uret. Quocircà rerum civilium periti ita ferè ſentiunt, eò differenda eſſe conſilia dum alteram in partem rerum momenta vergunt, & alterius fatiſcere vires occipiunt: Tum enim ſi in integro deliberatio eſt, aut pericula majori ſecuritate abnuuntur, aut maturiori conſilio, fortiorique animo eliguntur: Belli ſane, aut pace componendi, aut victoria conſummandi penes eum ferè eſt arbitrium

qui

qui hactenus medium ſe gerit, & au-
ctoritate illiciendis ad pacem animis
potens, & viribus, ſeu compeſcendæ
ſeu juvandæ ut viſum fuerit victoris
fortunæ validus.

At verò quibus imbecillior domi res eſt, principia belli neutram in partem alienatâ mente ſpectantibus, quam primum altera parte fortuna vergit, eadem propè quæ victis ſors imminet, dum ſine gratia ſine dignitate in additamentum victoriæ cedunt. Media quippe eorum conſilia ſuam potentiores injuriam interpretantur, & hoc ipſo quod innoxii fuere damnantur. Ita demum, quod infelicibus conſiliis evenire ſolet, optima apparent, quorum tempus effugit: Galliæ Rex cum contra Hiſpanos ad ſe pelliceret Florentinos, Vexillifer ſuadentibus non nullis ut medii eſſent, prudenter; [46] *alterius*, dicebat, *belli ſpectatorem tum laudari ſolere cum vires non adeo tenues eſſent ut utriuſve partis victoria metuenda ſit: Nunc autem neminem læſiſſe vix tutum fore fundamentum: Principes enim, cum quod optant illis denegatur, non minori ſe injuria affectos exiſtimare, imò iis omnibus qui ipſo-*

46. *Guicciard. lib.* 10. *p* 982.

ipſorum voluntatem ſecuti non fuerint, cumque eorum fortuna ſuam non conjunxerint iraſci ſolere.

Verum enim verò iſto rerum articulo cum alterius partis inclinatæ vires, utcunque tuis rebus tuendis affatim præſidii ſit, quies in periculis cenſetur. Quippe [47] *potentes inter & validos falſò quieſcas, ubi manu res agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt: Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes ac ſtolidi vocantur.* Medium ulteriùs inter iſta ancipitia ſequi deterrimum, nec opus cunctatione ubi perniciosior quies quam temeritas. Et quanquam qui longiùs diſſiti haud eâdem navi periclitari videantur, publicæ tamen dignitatis, cujus tenaciores ferè ſunt Reges ac Principes, intereſſe cenſetur, ne majoris momenti converſionem aliquam ſuccedere patiantur, quo ipſi non concurrant.

In altera igitur deliberatione illa, *quibus aggregari partibus conſultum ſit*, ferè fit, ut quò ſe victoria, eò inclinet & favor, cereis plerorumque ad omnes fortunæ vices animis perinde ac ille apud Poëtam:

Libra

47. *Tacit, in Germ. c.* 36.

Librabat geminas eventu judice vires
Ad rerum momenta cliens, ſeſeque da-
turus
Victori. ——

Cæterum imperia quæ virtute magis quam fortunæ famulatu inclareſcere, nec illuſtre faſtigium tam vernili obſequio polluere ſatagunt, conſtantibus potius maturiſque conſiliis inſiſtere, quàm fortunæ auris hinc illinc impelli præoptant. Hæc quippe rerum momenta ſecum trahere, non ab illis in diverſum agi, fortunæ obniti, non cum ea mutare par eſt, denique ſpecioſiſſima quæque amplecti, cum tutiora non ſequantur niſi quibus ſunt neceſſaria. Præterea quoties ad fortunam ſeſe inclinant, non tam periculi quam prædæ ſocietate illecti, & valentioris voluntatem pigneratum magis quam conatibus ejus provehendis operam commodatum veniſſe creduntur. Ita exoleſcit beneficii gratia cum obtruditur, imprimis ſi non amplius fructuoſum. Demum vix eſt ut in iſto fœdere cum dignitate perſeverare queant, cum [48] *arduum ſit, eodem loci potentiam & concordiam eſſe*: aliis iccirco mo-

M 4 men-

48. *Tac. ann.* 4. *cap.* 4.

mentis horum conſilia regi videas. Et quidem *Primò* vel in partium merita concedunt, atque in eo gloriæ humanæ faſtigium, quod eſt juſtitiæ vindicem audire, eligunt, vel *Secundò* unde ſuæ potentiæ ſpes affulget ſeſe deflectunt, vel demum *Tertiò* infirmioris vires ſublevant: Quanquam cum cauſæ juſtitia ſæpius in profundo lateat, dum utrinque magna prægnantium rationum ſeries obtenditur, & quivis ferè injuriæ invidiam à ſe amoliri contendit, litem ferè in medio relinqui videas. *Alterum* illud olim ſecutus bello Civili Mariano Cn. Pompejus, dum [49] *ita ſe dubium mediumque partibus præſtabat, ut omnia ex proprio uſu ageret, temporibuſque inſidiari videretur, & huc atque illuc unde ſpes affulſiſſet major potentiæ ſe exercitumque deflecteret*: A quo fere non abludunt eorum conſilia, qui callidi temporum ac ſolertes, turbulento mari piſcantur: Id quod egregiè edocta fertur curia Romana, [50] *quæ fere turbis concitandis operam dare ſolet quò poſtea arbitrium inter Reges belligerantes ſibi ſumat*,

49. *Vellei. Patere* 2. 14.
50. *Thuan. lib.* 51. *p.* 1024.

ſumat, & ex utriuſque damno privatum compendium captet. Nec non & Veneti: [51] *quibus nunquam pene moleſtum fuit, Italiam turbari, ea ſpe ut ex aliorum diuturnis diſſenſionibus ſuum augerent imperium.* Ultimum denique eò ſpectat, ut omni contentione enitantur cæteri Reges ac Principes, ne unius nimium creſcant opes, ut quæ felicitatis alumna eſt ambitio cæteris quoque ſervitium indicere poſſet; ſed quò diviſa orbis potentia velut æquilibrio conſiſtat, atque ita exæquatis ſingulorum viribus, omnium conſervetur concordia.

Anglia olim ita Galliæ inter & Hiſpaniæ æmulas vires bilancem tenuit: [52] *quæ, dum earum æqua lance vertebatur potentia, quieſcebat, at dum altera præponderabat, ad debiliorem ſeſe inclinabat, donec ad ſuum redigebantur æquilibrium.*

Atque ita ferè de hiſce omnibus generatim argutari videas Politicorum filios; quæ tamen quam ſæpè locum non obtineant, norunt qui in Reipubl. luce verſantur. Civilium negociorum hæc ſors eſt, ut non eadem

51. *Guicciard. lib. 1. p. 61.*
52. *Cambden. in vit. Eliſ. 1.*

ſemper facie occurrant. Inde conſilia tempori præſentique uſui aptare prudentiæ palmarium eſt. Eorum quos arcta ſatis fœderum neceſſitudo, in tertii perniciem jungit, intereſt ſæpius quam maxime ne illius evertatur penitus potentia, quippe cujus fere metu ac æmulatione horum ſtat concordiæ vinculum: quod proſtrato æmulo citius diſſuitur ipſique inde victores ſuis cladibus parentare ſolent; Sed nunc ad eas pergimus æmulationes, quæ totius Europæ ceu factionibus diviſæ animos inter incerta fortunæ ancipiteſque eventus ſuſpenſos tenent.

EUROPA quidem orbis portio longe pulcerrima, fortiſſimarum gentium altrix, illuſtrium ſtatuum regnorumque fœcunda, virtutum præterea cæterarumque artium ac ſcientiarum cultu terrarum omnium princeps, nec minus amœnitatum deliciis & quibus mortalium libido pretium dixit luxuriæ irritamentis opulentiſſima: Nationum in eâ diverſarum ferocia de Principatu ac virium magnitudine ceu belli orcheſtrâ decertantium florem ſubinde populi hauſit. Ex quo rerum eò reciderat ſumma, ut una gens

[53] *Europam omnem jure & dubio procul ad ſe pertinere* jactaret, potuit iſtius potentiæ reverentiâ coërceri æmulantium libido: At rerum humanarum ſorte tantam in uno populo molem ſubterfugiente, diſtracta paullatim quæ in unum corpus coaluerat tot gentium fortuna: Alii exin Cæſarum ſocordiâ libertatem reciperare, plurimis quos ſtimulabat virtus, ferociter à jugo reſilientibus: Sic partita iterum Europæ arbitria: Sed lacerum imperii corpus inundante barbarorum colluvie incertis potius quàm juſtis ac perpetuis dominiis exercebatur: Demum Caroli M. auſpiciis colligi iterum diſperſæ tabulæ & inſtaurari everſum decus, quanquàm non in veterem amplitudinem, & qualis ea cunque erat mox iterum diffluebat inter nepotes diviſa: Sola ad extremum Germania iſtud Romanæ dignitatis Palladium, & duraturæ cum mundo potentiæ pignus ſibi aſſeruit. Dividunt autem Europam omnem plerique in *Borealem*, quæ Germaniam, Sueciam, Daniam, Poloniam, Moſcoviam & Tartariam: *Occidentalem*, quæ Britanniam, Hiſpaniam, Portugalliam,

53. *Flor. lib. 2 cap 8.*

galliam, Galliam, Belgium, & *Meridionalem*, quæ Italiam, Ungariam, Græciamque continet: Florentiſſima ſane ſingula ſi ſpectes imperia; Sed afflixit opes ambitio & æmulantium furialibus in exitium facibus armata manus.

GERMANIA nova ſe facie exſeruit, poſtquam ſuadendi magis auctoritate quàm jubendi poteſtate auditi Cæſares: quippe vetuſtiores ut libitum imperitabant, at qui ſequebantur immunitates magna largitione effundebant, ut Principum captarent auram, dominationis prodigi: Inde licentiæ inſueſcere Ordines, nihil amplius humile ſpirare, brevem ac ſubdolam rati libertatem cui indormiſcerent: Deflorandam ulterius Cæſarum vim, ſi ſingulos emineret, ſaltem univerſis obnoxia eſſet. Maximiliani I. huc ſtimulabant auctæ ſucceſſionibus matrimoniiſque opes, quibus elatior ille reparandis imperii viribus, contumaciumque ſubigendæ ferociæ animum adjecit: Ad id ſubſidia popoſcit Ordines: Sed pleraque negavere, ad ſuum ſe patriæque ſervitium arma laturos rati, quippe nihil inde imperio, ſed Cæſarum ambitioni ceſſurum, quicquid

quid ipſorum ſuccollati viribus occupaſſent. Obſoleta exin vetus in abruptas imperio provincias æmulatio in ipſos vertit imperatores, cœpitque à Cæſarum rationibus ſeparari Germania, poſtquam Hiſpania quoque Auſtriæ arctius annecti viſa, & Carolus V. non obſcura nec ambigua vaſtæ ambitionis ſigna daret. Subnata ſimul religionis diſſidia, opportunum abſcondendæ libidinis mantellum; Fovere Cæſar diſcordiarum ſemina, hâc viâ ad eam quam præceperat animo potentiam graſſaturus: Quos curiæ Romanæ & ſpecioſæ religionis incantamenta faſcinaverant, Auſtriacæ ferè fortunæ inſtrumenta erant, nec omnibus intercidere libertatem poſtquam ſingulis extorta recordabantur.

Jam Hiſpanorum omni propè Germania ſpargebantur manipuli, maturaturi jugum, cujus ſub Cæſaris manibus fervebant initia. Suſtinuit tamen inclinatas res diſſidentium Principum virtus, Galliæ ſuffulta viribus, quippe quæ adverſus vicinum jam ſervitium libertati vindicias parabat: Sic quidem varia fortuna reciprocata æmulationis ſerra, ſuborientibus infauſtis

uni-

unionis ac ligæ vocabulis, cum tamen diſpulſa ſimul cæteris quoque nebula, & Hiſpaniæ faſtus jam totius ferè Germaniæ invidiam conciverat: Sed quæ adferebantur remedia, ipſis malis graviora apparebant. Succeſſere Bohemiæ motus, opportunum reprimendæ Auſtriæ tempus æmulis: At hebeſcebant ad fortiora quæque animi, & expertus addictam ſibi Fortunam Cæſar, redacta ad officium Bohemia cæteræ quoque Germaniæ properabat ſervitium. Nec refragabatur ipſa, demiſſis ad omnem patientiam plerorumque animis: Sed erigi libertas iterum, dum ſecurius collapſa credita & exterorum circumſpectare opem, ulteriora jam ſpe præſumente Cæſare. Excitus primum ab ultimo Septentrione Suecorum Rex jam tum ad famæ æternitatem contendens, afflictam Germaniæ libertatem velut cælo demiſſus vindex primus reſtituit, donec annitente poſtmodum & Gallia ſecuritas publica præter ſpem ac votum, voti quoque robur ac fiduciam aſſumeret. Annotarunt tamen exinde periti, aſtu tentari libertatem adverſus aperta munitam: Hinc ineſcari Electorum, im-

primis

primis qui pulla eminent, quanquam & ſecularium quorundam animos, eoſdem Auſtriæ occultiori nexu illigari, Reges exteros odiis Principum ſubjici, eorum conſilia tanquam perniciem imperio molientium traduci. Extrahi comitia, nec tamen alio magis faſcino Ordinum deludi dignitatem, nihil denique non agitari, quo per occultum ſubvertatur tàm carè aſſerta libertas. Sive hæc ſiniſtra interpretatione creduntur, ſeu vera ſint, valeſcit in æmulationem metus tam arcta inter ambitionis ac libertatis confinia. Sed ipſos præterea Ordines inter æmulatio diſcordiæ cauſa eſt, ſuffundente, ut creditur frigidam, Auſtria, quo genti libertatis avidæ ſi non Auguſtæ domus amor ſui ſaltem odium duret ac invidia: Ita ſibi tendunt ſinguli, in commune frigidius conſulunt: Illi exterorum ſocietate ſuas fulcire opes, alii torvum tueri quod imperii rebus miſceantur exteri: Sic diducta in partes Germania dum ſinguli ſeorſim æmulantur poſſe aliquem adverſus omnes invaleſcere prudentibus viſum.

HISPANIA ab aliquot ferè ſæculis æmulam habuit vicinam GAL-

LIAM,

LIAM, quanquàm levibus primum odiis certatum; Sed efferbuerunt eò animi ut mutua nunquam cæde expleri poſſe crederentur. Neapolitani regni cupido ſalivam utrique movebat, quod jam ante Carolus VIII. Galliæ R. felicius invaſerat, quàm deſeruit: Ludovicus XII. heres paternis imbutus conſiliis recuperandæ Neapolis animum cepit, traducto in partes ne conatus præpediret Hiſpano: Ceſſit ita in communem prædam quod paribus votis appetebatur regnum. Sed ſuborta mox de finibus controverſia, cum tranſactione componi non poſſet, in bellum erupit: Prævaleſcente Hiſpani potentiâ Neapoli pariter ac totâ Italiâ extorres Galli pacem ambivere, qua Neapolitani regni ſocietate certâ lege excluſi cis Alpes ſe receperunt. Auxit odia acquiſitum poſtea papalis cenſuræ titulo Navarræ regnum: Sed exarſit gravior æmulatio Carolo Auſtriaco in Hiſpaniarum jura ſuccedente, poſtea quoque ad imperii coronam evecto: In hunc enim jam vetere Burgundiæ domus æmulationis memoria inviſum, duplicata indignatio acerbius deſpumavit, fœcundiori exercendæ

invi-

invidiæ materiâ, Burgundicis quippe, Belgii, Mediolanique controverſiis cumulatâ. Ita collidebantur potentiſſimi tum temporis Reges, quorum utrique cum ad capeſſendum orbis imperium nec animus nec vires deeſſent, ſola quod jactantior Hiſpania, tantæ ambitionis invidiam ſuſtinuit. Sed hiſce duobus quaſi polis cæteræ Europæ res temperabantur, & derivata in ſucceſſores odia novis ſubinde ſtimulis exulcerata, rarius eâ fide coëunte pace, quæ non levi momento convelleretur; Hunc rerum ordinem volventibus ſine dubio fatis, ne ad unum redirent Europæ arbitria.

LUSITANIA veteri utcunque odio cum Hiſpaniâ conflictata, ejus tamen obliterata penitus memoria, poſtquam Cardinali Rege vitâ functo Philippus II. concertantium æmulorum vota virium prærogativâ eluſit. At cum regnante Philippo IV. exorta Bragantini Ducis factio, Hiſpanum nomen totâ Luſitaniâ faſtidiri primum, mox eliminari cœpit. Exin arctiori fœdere Galliæ juncta, Angliâ quoque matrimonii vinculo obnoxiâ, Hiſpano hactenus feliciter æmulatur.

Anglia & Hispania mutua primum incaluere æmulatione ex quo Philippus II. ducta in uxorem Maria Angliæ Regina reciprocæ ſucceſſionis vinculo utrumque regnum obſtrinxerat, ſi cui eorum quid humanitus contingeret jure defuncti ad ſuperſtitem devoluto. Profecto autem ad componenda Flandriæ negocia Philippo, Elizabetha ſupra ſexum audax fæmina, pulſa ſolio Maria Reginam ſe Angliæ profeſſa, regnum Romanæ ſuperſtitionis fæce purgatum ſibi aſſeruit. Philippus jure mariti nixus, tum quibus matrimonium pactis coaluerat, in ultionem accinctus, conquiſita, cui omnis ætas parem non vidit, navium copia, conſtratoque claſſibus Oceano Angliæ imminebat terribili, at irrito conatu: disjectis quippe tempeſtate navibus, tanti apparatus temeritatem pœnitudine luit; alta nihilominus mente repoſta injuriæ memoria novis ſubinde æmulationibus affatim ſubjecit materiæ. Cui Indicarum opum nunc accedunt illecebræ, quas ante Elizabetham ſolis ferè Hiſpanis cognitas, pari inde ardore ac invidia nunc ſcrutantur, ſecurius tamen petunt, qui mari præpollent. De-

Demum & Belgii intereſt, ne invaleſcat Hispania, recentiore detrectati imperii memoria impenſius ſibi adhuc irata. Retinens quippe ſi ulla decoris gens & ambitionis pervicax, non niſi duriſſimo neceſſitatis telo tempori fortunæque ſuccumbit,ira quidem at nondum expiata iræ venia: Neque Oſnabrugenſis pacis auctoritas, qua libertatis decus genti conſtitit, ultionis ardorem morabitur, ſi occaſio appareat: Quanquam niſi ipſos domi diſcordia divellat,ejus ſpes omnis ferè abrupta, quandoquidem ad eorum ruinam non niſi per clades æmulorum Principum via pateat.

Angliæ Belgiique æmulationes funeſtiſſima bella, infecta cædibus maria, interceptæ ſubmerſæque claſſes teſtantur. Tertio jam ferali bello vires opeſque exhauriente tertia nunc coaluit pax; Sed quæ utrinque prætenditur commerciorum Indicæque navigationis libertas, affluens novis motibus materia eſt, quippe non citra invidiam parantur, quæ pari adfectu concupiſcuntur opes.

Gallia multis retrò ſeculis **Anglorum divexata æmulatione,** quip-

quippe antiquo jure ejus ſibi poſſeſſionem adſtruentium. Philippo namque Valeſio ad regnum evecto Eduardus III. Angliæ Rex gradu quidem propinquior, ſed quod per fæminam deſcenderet lege Salica arcebatur: Inde jus armis evicturus infeſtis Galliam ſignis intravit, ſubactaque Guienna, Normanniaque Joannem Regem cum duobus liberis multaque Principum familia in vincula duxit: Henricus deinde filius cum denuo magnis in Galliam copiis moviſſet, nuptiis Catharinæ, Caroli VI. & Iſabellæ filiæ, in ſpem regni erectus. Iſabella quippe novercalibus in filium Carolum odiis uſa eum à ſucceſſione removerat, eoque pariter & ſuis obnoxium imperiis maritum adegerat: Inde defuncto Carolo cepit inſulas & regium diadema Henricus VI. Galliæ, Angliæque titulis inſignitus: At Carolus filius mira numinis providentia accitus impulſis fractiſque Anglorum rebus Galliam omnem præter Caletum deſerere coëgit: dum interim factionum diſſidiis domi componendis diſtrahebatur Anglus, conſopita quidem aliquantiſper odia, ſed æmulatio ipſa opima ſatis litibus materia ſubinde

reſuſci-

reſuſcitabat, quanquàm junćto aliquoties affinitatis vinculo receptoque à Gallis Caleto propemodum exſpiravit.

SUECIAM DANIAMQUE, ſolita ſemper inter accolas odia exercuere, ambigente ſæpius fortuna, num utrumque regnum uno ſub capite ſociari poſſet. Sed pacis intereſſe apparuit ſuis ſingulis Dominis parerent. Neque tamen exinde miteſcere æmulatio ad leviſſimam quamque auram vacillante concordia, dum præminere paullatim Suecorum potentia cœpit: Sed proſperitas invidiæ fuit, indignius ferente Dania præumbrans æqualis olim regni faſtigium. Iniquis iccircò temporibus imminere, victoremque alibi Fortunam domi laceſſere, donec Bronſbroënſi pace lautis Sueciæ conditionibus coaleſcente, firmata quidem adverſus omnem diſcordiam, non adverſus temporum opportunitatem amicitia: Dania felicitatem æmuli ſubinde vellicare nimis aſſueta; quem morem poſtremo regni exitio luiſſet, niſi perditis rebus à fœderatis aliis ſalutare ſidus affulſiſſet: Confirmata deinde Roſchildenſi pace, luculenta ditionum parte

belli

belli fortuita redemit. Iſta utcunque jacturæ memoria dato tempore reſurrectura credi poſſet æmulatio, ad mitiora tamen animum referre videtur Dania, modeſtia potius præſentia firmare, quam inconſulta cupidine vetera & periculoſa malle ſatagens.

Polonia Sigiſmundum ſibi è Suecia Regem arceſſebat validiorem rata, junctam ſub unius Regis auſpiciis utriuſque regni fortunam: At Sueci abſentiæ Regis, quippe ne quidem ut conventum erat per ſingula quinquennii intervalla comparentis pertæſi, tum aliis inducti neceſſitatibus, Carolum patruum vicaria auctoritate imperantem Regem dixere. Ultionem auſus Sigiſmundus movit in Sueciam; Sed fortuna contra dante, commotiſque ex altera parte Moſcis Coſacciſque in Poloniam ſe recepit ſtetitque intra titulum impetus, quo & ſucceſſores jus ſuum præferre contenti reciperandi regni ſpe interciſa, donec & tituli oblivíſci coëgit Carolus Guſtavus, quoties cum Suecia res foret. Sed & porrò Polonia æque ac Moscovia nobiliſſimas ſibi abſciſſas provincias, illa Livoniam, hæc Ingermanniam non modi-

modice doluere: At firmatâ pacis perpetuæ fide poſſeſſio nunc invidia caret. Nec demum Electoris Brandenburgici tanti eſt æmulatio penſato tot opimis Epiſcopatibus Pomeraniæ diſpendio.

Signati nobis hactenus quæ inter præcipuos Europæ ſtatus verſantur æmulationum fontes: Inde tanquam rivuli peculiaria cuivis rationum ſuarum Conſiliorumque momenta fluunt, ex quibus deinde occulti fœderum nexus iſta voluntatum ſympathia communi utilis noxiique ratione nixa, mutationum civilium ſeries, rerum deniqui ſumma pendet.

Sed eſt hæc communis Europâ omnium æmulatio, ne ejus arbitria obſideat unus. In eâ quippe tres Monarchiæ, viribus, auctoritate, rerumque geſtarum claritudine præfulgent: HISPANIA, GALLIA, SUECIA. Si ad unum vergat Europæ imperium, ex hiſce alicui dubio procul deberi creditum. ANGLIA enim dum vaſto mari pulſatur etiam rerum natura hinc arceri viſa: Poloniæ quoque ultra ſua ambitionem protendere non permittit ratio. Daniam cæteroſque ſtatus partim infirmitatis conſcientia partim vi-

virium ſibi minus conſtans robur impedit. Sed Hiſpania fere jam exſpes, Gallia adfectare dicitur, Suecia nondum concupivit.

Et conſenuiſſe quidem in Hispania impetum veroſimile ſit, quandoquidem diu eſt quod ſaxum hoc volvit. Suſpecta primum Venetis ambitio, dum in inſolentius Italiâ graſſabatur; Inde quod ſervitium orbi moliretur traducta. Arrexit aurem Gallus, nec jaciendis apud alios odiorum ſeminibus ſegnior, in majus extulit, tanti conatus opprobrium. Aucta dein ſub Carolo imperii acceſſione Hiſpania, in illâ animos, in cæteris invidiam auxit. Neque tamen Italia vel Gallia quamvis excitis quoque ex Oriente Barbaris, conatus adeo moratura erat, ſi Germaniam placari contigiſſet, ultimò ſerviturain ſcenæ dum fractam cæterorum libertatem complicatis manibus ſpectaſſet: At ſecus id arripiebatur à Cæſare, qui iſtis diffidiis fortunam cauſas imperio quod animo volvebat ſtruere ratus, fovere diſcordias, atrocibuſque conſiliis exaſperare animos, vi magis quam per inſidias libertatem adorturus. Ipſe exin tantæ molis funda-

fundamenta inchoaſſe contentus, perficiendæ gloriam ſimul ac ambitionem filio fratrique reliquit : Sed illum quidem tantæ ſpei inſiſtentem Belgii imprimis motus præpedivere : Huic ut & ſucceſſoribus tenuior quoque fortuna erat, quam quæ audere poterat, nec vaſtus adeo animus, qui non modeſtiâ ſecuritati conſulere quam pericula ambitione provocare mallet. At revireſcentibus Auſtriæ ſub Ferdinando rebus, redeunte ad obſequium Boemiâ, caſtigata Dani ferocia, cætera Germania quod ultimum in ſervitute jam propè experta, quin & Hiſpanorum toto imperio palantibus copiis, tentatæ quoque maritimæ civitates ut & Oceano ſpargeretur terror, apparuitque ituram ad ſumma Hiſpaniam ni præcoci conſilio fortunam occupare potius quàm opperiri maluiſſet. Sic felicitas in pœnam vertit, irritato audendi libidine æmulo & porrecta in Septentrionem quoque licentia, quæ tandem graviori ultione expiata, dum tantorum conatuum ſubverſa ſpes iræ placamentum fuit.

Sed obfuiſſe imprimis inſitam genti ſuperbiam creditum, tum profundam at

apertam nimis ambitionem, quæ tam excelſæ ſpeciem gloriæ vehementius, quam cautè appetebat. Et quod fortunæ moderari neſciunt, proſpera temeritate evertunt. Fama præterea magis quam vi ſtetiſſe res Hiſpaniæ dicunt, quando nec opes unquam fuere, quæ jactabantur, & Indicarum divitiarum pleraque ad privatos ſpectent. Ipſa porrò Hiſpania ſterilis ac ſolitudinibus vaſta, hominibus parum fœcunda, tanta multitudine in Indiarum colonias deportata: Unde peregrino milite inſtruunt aciem, & quæ ſibi adſcribunt decora, exterorum virtus peperit, ſuum alienæ dominationi ſanguinem commodantium. Ægre porrò nec niſi magnis impendiis tenetur diſſipata hinc inde imperii compages, multorum ditionibus interſtincta, quam iccircò irrito licet conatu Genuenſium patrocinio & affinitate Allobrogis arctare tentaverunt. Neque in Indiis munita ſatis adverſus Angli Batavorumque impetus potentia; evulgato ulterius dominationis arcano, non alibi imbecilliorem eſſe Hiſpanum quam domi, quod inſurgentibus ſub Philippo II. Mauriſcis apparuit: quorum ſuc-

ſucceſſu irritatus poſtea Antonius Luſitaniæ Rex exul aſſumptis Anglis in Hiſpaniam trajecit, trepido jam Rege, & ni hoſtem vires defeciſſent, vix ad tàm ſubita parato.

Sed & hodie dum aliorum à ſuis arcere cupidinem ſatagit, magno nimis temeritatis impendio inter eorum diſcrimina incerta eventuum ſectaretur: tutiori conſilio poſtquam ſpe excidit, ut ſpei quoque ancipitia vitet, animis moderatura, quo appareat ipſa plus imbecillitate obeſſe imbecillitatis conſcientiam. Ita molleſcente primum æmulatione mitigandæ facilius Galliæ Suecorum auræ velificari intererit: ut aliorum exonerata metu ſuis melius utilitatibus vacare queat, liberius lacertos motura ut collecto paullatim vigore aſperſum contumacia, quos putat, perduellium dedecus vindicet.

G A L L I A pari dudum ambitione gravis credita, ſed tegendi conſilii obſcurior. Jam tum enim Henricum IV. illius moliminis fundamenta, at in longum jeciſſe; quæ dum ex tempore robur accederet, recondere viſum, Richelii dein ſolertia Rheno veterique

Auſtraſia protenſa: At poſteriores dimotis velut parietibus anxias in deſignandis Europæ tenus ambitu Franciæ finibus, manus, Germaniam Italiamque jam in Provincias deſcriptam, omnia denique ambitione vaſta oſtendiſſe; Inde affectatâ Poloniâ, tentatâ Africâ, Catholicis Germaniæ Principibus, opera, auro, milite ſibi devinctis, emporiis quoque maritimis inhiaſſe unde Oceano immineret, Belgium ſpecioſo prætextu invadere, adſpirante fortuna longius auſurum, ipſam etiam Hiſpaniam ſi maſcula prole orbari contingat, ambiturum: novis denique amicis conſueſcere, veteres negligere, peritum amicitias quæ non placent diſſuendas magis quàm diſcindendas eſſe. Inde didita per orbem fama, orbis imperium volvere Gallum, à pleriſque avidè accepta, quanquàm non deſint qui arguant: Ambitio quippe & alieni cupido cæteraque magnis imperiis objectari ſolita Gallorum hactenus moribus aliena credita: Aliorum ſemper injuriis in arma truſos, ſibi tantum ſociiſque defendendis parata, innoxia niſi externa ambitione laceſſita. Eoſdem non prædæ ſed gloriæ appeten-

tentiores, ſociis libertatem, ſibi famam aſſerere ſuetos, quin & in fœdus contra eos qui compoſita turbaſſent nunquam non deſcendere promptos. Sed naturâ humanæ infirmitatis, inclinatis in ſuſpicionem mentibus, citius quæ metum quam quæ ſecuritatem augent creduntur: ubi ambitionis timor invaſit animos, modeſtia pro latebrâ habetur. Ita inſontem licet credas Galliam, tempore tamen in ſuſpicionem, ſua tuendi ardore in alieni cupidinem, oſtentato pacis deſiderio in blandiens odium evaleſcente, famæ quoque inania terrent, ipſaque ut timeat, timetur. Sed nunc Rege juvene gloriæ cupidine inardeſcente multis opum theſauris, validoque milite ſuccincto, ecquid non auſura? ni vires regni cætera ſolidè ſatis compacti inteſtinis diſcordiis lacerari iterum contingat.

SUECIA propitiori famâ hactenus uſa, extra invidiam, non extra gloriam fuit; Non minus illa ad tantæ ſpei faſtigium attolli viſa ex quo famam ingredi auſpicata: Coërcita enim Poloniâ, afflicta Germaniæ libertas primum exſerentis ſeſe gloriæ argumentum erat: Percrebuit armorum ter-

ror, favente juſtiſſimo numine cauſæ: nec impulſæ unquam res, quin majori mole ac virtute reſurgerent. Inde ad ulteriora pateſcere via, ſentiente Auſtria non aliunde ſibi majus imminere diſcrimen, quam unde minimum timebat: quippe inter poſtrema Philippi II. Elogia fuiſſe conſtat: Sueciam ut longius diſſitam minus impedimento fore. Sed toti jam orbi innotuerat, Septentrionem ſibi populum ſepoſuiſſe, gentium ſi vellet futurum victorem, cum SUECIA arreptis non minus quam poſitis armis inclareſcere ſplendidum rata, pacem dedit, cum oblatam repudiare potuiſſet, illuſtri modeſtiæ ſummis quoque mortalium non ſpernendæ documento. Firmatâ ibi pace ne detereretur ardor alios concivit æmulatio hoſtes: & quò plura eſſent virtutis inſignia, magnitudo quoque ejus adverſis approbata, quibus cum ſuccumbere viſa, majori ſemper incremento eluctata apparuit. Ita nimirum nec ſecundis inſoleſcere, nec improſperis frangi erudita, omnium digniſſima habita fuit, quæ orbi dominaretur: Sed nondum concupivit, ſive quod indecorum cenſeat attrectare,

quæ

quæ obtineri à nemine credit, ſeu quod fortunam ſequi quàm trudere malit, exſtingui cito gnara quæ ſubito orta, firmiora eſſe quæ tardiùs incedunt imperia, ſeu denique excelſius aliquid citra ambitionem; non citra majorem gloriam auſura, quippe aliorum de imperio orbis æmulantium ambitioni regendæ validiſſima, delecto exercituum robore, & recenti adhuc gloriâ inſignis.

Sanè infeſſum jam Gallicis copiis Belgium cunctos erexit Europæ Principes, quibus iſta inter molimina in incerto ſunt judicia. Multorum ea eſt opinio, juvanda eſſe Gallorum arma, id publicæ tranquillitatis intereſſe, quippe non quieturam Auſtriam niſi proſtratam, & jam ſponte vergere ipſius fortunam annis victoriiſque gravem. Secus aliis viſum, ſubverſo æmulo ipſum Europæ Gallum gravius incubiturum verentibus. Sagaciſſimus quiſque Auſtriæ caſum multis ante cladibus conſtiturum ominatur: eas eſſe vires, quæ ſine convellentium exitio convelli nequeant; nec Hiſpanum unius anni bellatorem eſſe, cui congrueret illud Poëtæ:

Major ſum quam cui poſſit fortuna nocere,

Mul-

Multaque ut eripiat, multò mihi plura relinquet.

Prima iccircò belli ſpeculari ſatius eſſe, ſi non alios miſceri contingeret, citius forſan redintegrari poſſe amicitiam: quod ſi cum alterius exitio deſiturum bellum, ecquæ ſperanda ex victoriâ concordia, ſingulis quercu cadente glandem legere properaturis: At quæ hactenus in obſcuro ſunt, dies aperiet. Vovent boni omnes, ut quicquid Europa turbidum, egeratur in hoſtes, & quo ſe ipſam conficit, in barbaros evomatur æmulationis virus.

Sed ipſius veritatis Oraculum eſt, duratura in ſenectam mundi diſſidia: Cujus certitudinem, adſtruet ſi quæ erit poſteritas, quando hæc, [54] *Quæ nunc exemplis tuemur, inter exempla erunt.*

54. *Tacit. Ann.* 11.24.

F I N I S.

ANT
1318531

Digitized by Google